






SCRIPTORES COPTICI

SERIES SECUNDA. — TOMUS IV.

SINUTHII OPERA

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM
ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. GUIDI, I. FORGET, A. VASCHALDE

SCRIPTORES COPTICI

SERIES SECUNDA

TOMUS IV

VERSIO

MDCCCCXXXI

SINUTHII ARCHIMANDRITAE
VITA ET OPERA OMNIA

III

INTERPRETATUS EST


H. WIESMANN



PARISIIS

E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

MDCCCCXXXI


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL
ST. MICHAEL'S
COLLEGE

PRAEFATIO.

Prima omnium Sinuthii operum pars, quae iam diu prelum exspectabat, superatis haud exiguis horum temporum iniquitatibus nunc demum in latinum translata in lucem editur. Huius viri scripta quicumque vel leviter attigit, quid negotii conversioni, maxime latinae, facessant, facile intellegit. Genus enim narrandi habent saepe obscurum, contortum, praeceps, parum cohaerens, anacoluthiis, quae dicuntur, abundans. Unde patet non omnia, si quidem sermonem latinum volumus esse tolerabilem, ad verbum exprimi posse. Accedit, quod vocabulorum et usus singularis et notio non raro incerta est. Quare dolendum est, quod lexicon copticum, quod W. C. Crum, vir sane peritissimus, conditurus est quodque multa sine dubio suppeditare poterit, integrum nondum in promptu fuit. Pauca praesto fuerunt adiumenta. Maxima enim pars libri translata nondum est, pauca vero, quae conversa sunt, nec ad verbum nec ad sententiam veritati proximam reddita. Aliquantum huius libelli in scholis C. Sethe et G. Spiegelberg, quibus mihi licuit interesse, profiteor esse tractatum. Praeterea I. Leipoldt, qui textum edidit copticum, consilio semel atque iterum adfuit. Denique G. Koester, collega meus, in hoc scripto ad prelum parando numquam mihi defuit. His igitur omnibus, qui ad hunc libellum emittendum aliquid voluerunt conferre, gratias ago singulares.

Francofurti ad Moenum, mense octobri anno MDCCCCXXXI.

INTERPRES.

p. 13. 1. Ad archiepiscopum quendam.

...]nos omnes. Deus benedictus et Christus eius Iesus, rex gloriae, confirmat et conservat te nobis, meum patrem et patrem omnium nostrum, famulorum tuorum, et patrem omnium in Deo omnipotenti spem ponentium. Profecto quidem incrementum pietatis nobis allatum est, quotienscumque sanctas tuas doctrinas audivimus... 5 in fide verbis tuis dilucidis, non solum nos, verum omnes, qui ea audient. Nihilominus nescio, quid dicam in tanta tua erga memet, hominem miserum, caritate, qui me praeter meam dignitatem et praeter meam condicionem decoras et honore afficis. Multi enim sunt, qui te laudant, quod ad me miserum simulque nos miseros 10 scribis, servos tuos fratres, quibus preces tuae succurrunt. Bene nobis vale, carissime pater noster et benedicte, *et* memento nostri in tuis precibus Deo semper acceptis.

2. Ad Timotheum, archiepiscopum alexandrinum.

Eiusdem.

Sinuthius ille minimus scribit ad patrem suum carissimum *et* 15 Dei amicissimum apa Timotheum archiepiscopum. Salve in Domino!

Vehementer gavisus sum, cum per fratrem Dei servum litteras *p. 14. paternitatis tuae sanctae acciperem, quae quidem *nobis solacio fuerunt et exhortationi. In iis imaginem tuam Christum gerentem velut coluisse nobis visi sumus et animum confirmavimus verbis divinae 20 illius, quae in te est, sapientiae auditis, e qua progreditur iustitia et a cuius dextera et sinistra sunt gloria et divitiae [1], in lingua autem etiam legem et gratiam gestat, itaque nos quoque sicut sanctus *ille* dicimus : «Quis ego sum, Domine, mi Domine, ut tantopere me dilexeris [2] ?» Dominus nobis hoc magnum donum largitur i. e. 25 caritatem sanctitatis tuae, *qui* es pastor nobis, *qui* nos pascis et in omni re gubernas et pro nobis intercedis precibus tuis sanctis Deoque acceptis.

Vale in Domino, pater noster carissime et sanctissime!

[1] Cf. *Prov.*, III, 16. — [2] Cf. I *Par.*, XVII, 16 (LXX).

3. Ad eundem.

Eiusdem.

Sinuthius ille minimus scribit ad patrem suum carissimum Dei*que* amicissimum ac beatum apa Timotheum archiepiscopum. Salve in Domino!

5 Deus et Christus eius Iesus, salvator noster, benedictus sit! Benedictus etiam Dominus De[us...

4. Ad archiepiscopum quendam.

...vehementer gavisus sum, cum litteras acciperem paternitatis tuae sanc]tae per Dei servum fratrem et patrem apa Maximinum, quae quidem solacio nobis fuerunt et animi confortationi. In iis imaginem 10 tuam Christum gerentem velut coluisse nobis visi sumus et animum confirmavimus * verbis divinae illius, quae in te est, sapientiae auditis, cuius ex ore iustitia progreditur et in cuius dextera et sinistra sunt gloria et divitiae[1], quae tamen in lingua etiam legem et gratiam gestat; itaque nos quoque sicut sanctus *ille* dicimus : «Quis ego 15 sum, Domine, mi Domine, ut tantopere me [dilexeris][2]?» Dominus usque ad extremum nobis largietur hoc magnum donum i. e. caritatem sanctitatis tuae, *qui* nobis es fiduciae et adminiculo firmo, *qui* nobis es pastor, *qui* in omni re nos pascis, *qui* nos gubernas, *qui* intercedis pro nobis precibus tuis sanctis Deoque acceptis. Rogamus 20 igitur perfectionem tuam, ut pro nobis depreceris, ut nos quoque digni fiamus, qui similiter ac beatus frater noster *vitae* cursum cum pace conficiamus.

* p. 15.

5. Ad clericos oppidi Psoi (Ptolemaidis).

Sinuthius ad clericos Psoi iterum scribit in Domino.

Sinuthius ad clericos Psoi iterum scribit.

25 Quoniam dixisti : «Longe absumus, ut satanas in nos introeat», quandoquidem hoc in priore epistula audieras : quo modo satanam apud vos esse negabitis? Iniuriae enim rapinaeque tuae adversus te vel vos testantur, cum ea, quae tua non sunt, rapias. Nonne peccata

[1] Cf. *Prov.*, III, 16. — [2] Cf. I *Par.*, XVII, 16 (LXX).

mea novi in conspectu Dei multa esse meque vobis, amici, dolorem afferre? Iudicabitisne ad vos referri ea, quae propheta dixit[1] : «Lex periit a sacerdote et consilium a propheta», et iterum[2] : «Sacer-
* p. 16. dotes occultaverunt viam * Domini», et rursus[3] : «Sacerdos erit sicut populus[4], scelerum eius poenas ab eo repetam et cogitationes 5
cordis eius reddam ei»? Nonne ob irae suae magnitudinem prophetae dixerunt[5] : «Intra in lutum palea commixtum atque calca», quod est : «Intra in iniuriam commixtamque cum ea rapinam atque calca, quoad lutum eius cervices vestras attingat»[6]?

Num opera domus Achab facietis in domo Domini omni[poten]- 10
tis?[...

6. Ad senem quendam : de votis monasticis.

1. Eiusdem.

Quoniam igitur hoc consilium tibi, senex, in mentem venit : «Si res ita est, inquis, fac, ut fratres sive mares sive feminas etiam recens ingressos iureiurando adigam nihil se mali facturos esse», 15
ego quoque id, quod proposuisti, probavi, ut haec forte ratio omnes nos tranquillos redderet de eis rebus, quibus animo anxii sumus. Hac autem re perpensa — quandoquidem salus secundum id, quod scriptum est[7], in multo consilio est — e contrario dico tibi : Non solum si eos per nomen Dei, quem non vident, iurare iubeas, 20
sed — profiteor sive affirmo tibi, id, quod dicam, verius erit — etiamsi Deus Iesus eo loco, quo eos iureiurando obstringes, appareat et per eum, dum vident eum, iurent, ii, qui peccabunt, etiam in eius conventibus peccabunt. Uter maior est, dominus iurisiurandi[8] an iusiurandum? Hominem enim si memoria Dei a peccando non 25
* p. 17. detinebit, * ne iusiurandum quidem detinebit. Non dixit : «Iusiurandum da, peccatis carebis», at dixit[9] : «Memento Domini, iam omnia ex voluntate mea facies». Non decet sepulcrum vacuum, ne dicam ossibus et omnibus sordibus refertum[10], anulo regis obsignare, sed thesaurum omnibus bonis completum. Homo autem, qui in his 30
conventibus peccat, vacuus est, refertus vero contra cogitationibus impuris et omnibus improbitatibus; indignus plane est, qui no-

[1] Ier., xviii, 18; Ezech., vii, 26. — [2] Os., vi, 9 (LXX). — [3] Os., iv, 9. — [4] Lege ⲗⲁⲟⲥ (K. Sethe). — [5] Nah., iii, 14. — [6] Lege ⲡⲱϩ ϣⲁ ⲛⲉⲧⲛⲙⲁⲕϩ (K. Sethe). — [7] Cf. *Prov.*, xi, 14. — [8] Cf. Matth., xxiii, 16-22. — [9] Cf. *Eccli.*, vii, 40; xxviii, 8. — [10] Cf. Matth., xxiii, 27.

men Dei pronuntiet, nedum testetur. Nomen Domini est timentium eum, sicut scriptum est[1], ut id proferant in omni causa omnique re bona atque adeo in iurando quoque instar eius, qui dixit[2] : « Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae ». Non iis, qui in nobis pec-
5 cant, prospicio, ut eos per nomen Dei iurare prohibeam; fiant obnoxii irae, quae de caelo revelabitur[3]; peccant enim etiam post omnia haec mandata. Sed nomini sancto Dei benedicti prospicio. An cogendi erunt per nomen Dei iurare se peccaturos non esse illi impuri, qui peccant vel peccabunt omni tempore in his conven-
10 tibus? An non vides eos, qui deliquerunt, postquam tibi : « Non peccabimus » iuraverunt, rursus facere? An revera dicis : « Nemo inter nos sive mas sive femina falsum iurabit »? An nemo fecit? An non tu dixisti : « Si peierent, videant *ipsi* sive sanguis eorum super eos »[4]? Videant etiam et sanguis eorum super eos! Attamen dixisti : « Eiciens
15 eos perditurus eras vel perdidisti. * Fac, ut eos iureiurando adigam, * p. 18. vel quiesce et exspecta, Deus de iis iudicabit ». Quamdiu in his angustiis versabimur? Animus noster his maeroribus contabuit, cum ita tibi dicerem : « Numquid laborasti aut animus tuus contabuit instar eius, qui coepit contristari et maestus esse, cuius anima tristis
20 erat usque ad mortem[5], Jesu? ». Post haec et cetera omnia, quae tibi dixeram, significavi tibi : « Ego eos, qui in his conventibus peccant, non eicio neque quidquam impavide vel illegitime vel inconsiderate facio; attamen Deus eos eicit ».

2. Eiusdem.

25 Si igitur consilio, quod Deus animo tuo iniecit, iusiurandum dari consentaneum est, ut tu quoque sanctus fias et fratres omnes suae ipsorum saluti prospicientes — iusiurandum *illi* quidem non dederunt — sanguis eorum, qui aliquando in his conventibus peccabunt, *veniet* super ipsos et super eum, qui iis praeest, si eos licet admonitus in
30 his *esse* patiatur. Tantummodo nomen Domini eiusque Christi non testabuntur, non *quidem*, ne iis, qui haec opera pestifera inter nos perpetrabunt, peccatum imputetur, sed ne ratum, quem erga Deum habes, amorem inquines. Qui praeceptum, quod iis observandum proponetur, transcendent, peccatis peccata addant, modo nomen
35 Dei sanctum maneat. Exsecrati sint ipsi et omnia eorum opera, modo

[1] Cf. *Deut.*, x, 20 (?). — [2] *Ps.* cxviii, 106. — [3] Cf. *Rom.*, i, 18. — [4] Cf. Matth., xxvii, 25. — [5] Matth., xxvi, 37.

nomen Dei omni ex parte benedictum sit apud eos, qui omnia Dei gloriae causa faciunt, quemadmodum nunc eos iurare vis, ut ad eius gloriam culpae expers sis, sicut scriptum est[1] : « Omnia in gloriam
* p. 19. Dei facite ! » *Ego quoque ut minimus video et per mysterium tibi significavi gloriae nomini Dei tribuendae praestare homines per 5 illud non iurare, maxime nostrae causae ratione habita (?), non quod, si non *quidem* per nomen Dei iurant, aliud autem iusiurandum dant et violant, iram, quae die iudicii sive die irae in eos irruet, effugiant, sed quia nomen Dei purum manet, ut scriptum est[2] : « Sanctificetur nomen tuum ! » Homines omnino indigni sunt, qui illud enuntient 10 flentes *sive* de peccatis *commissis* sive ad peccatum vitandum, quia per illud etiam stulte iurabunt; multi enim sunt, qui per nomen Dei iurant *et tamen* iusiurandum migrant. Qui olim praecepit, ut per se iurarent[3], cum nomina aliorum deorum, lignorum et lapidum, per quae iurarent, ignorare eos vellet, idem, postquam eum cognoverunt, 15 etiam praecepit[4] : « Non iurabis, non per nomen Dei solum, sed ne ullum quidem aliud iusiurandum ». Neglegemus voluntatem Dei nunc in *vitae* nostrae exitu ob homines, qui malum magis diligunt quam bonum[5]? Minime vero. Unde fit, ut modo opera ducis faciant, modo iusiurandum dent? Fortasse fore existimas, ut nos praeter 20 omnes homines aliam super aliam aetatem degamus. Adibimus ad Deum, adibunt et ipsi. Forsitan tuum quiescere velis animum omniumque etiam fratrum, qui opera prava, quae in nobis committuntur, lugent : si Deus statuit, ut hic *homo* dormiat, quiesces seu quiescetis; si non statuit, ut dormiat, etiamsi cottidie iurent, non quiesces. Hae 25
* p. 20. vero perturbationes numquam rursus in * his conventibus tollentur. Lex igitur, quae condetur, est, ut intercessor iis apud Deum exsistas; constitutum enim est, ne quid fieret, quod Deus facere vetuisset, sed ut corpore nostro sancti[6] fieremus; custodiemus autem etiam animum nostrum, cum verum dicemus et omnem rem bonam hic faciemus sine murmuratione[7] ac mala pravaque cogitatione. Nonne haec 30 ipsa est ea ratio, quam *sacrae* litterae commendant ?

3. Professio. — Singuli igitur ita dicent : « Apud Deum in loco eius sancto, verbo, quod ore protuli, mihi testante, profiteor : « Corpus meum nullo modo polluam, non furabor, testimonium non prae- 35

[1] I *Cor.*, x, 31. — [2] Matth., vi, 9. — [3] *Deut.*, vi, 13; x, 20. — [4] Cf. Matth., v, 34. — [5] Cf. *Ps.* li, 5. — [6] I *Cor.*, vii, 34. — [7] I Petr., iv, 9.

« bebo falsum, non mentiar, nullam occulte intendam fraudem[1] ». Quodsi id, quod vovi, violavero, regnum caelorum etsi videro, tamen non ingrediar : Deus, cuius in conspectu foedus pepigi, animam meam corpusque meum in ignea gehenna perdet, utpote cum foedus,
5 quod feceram, violaverim.

De contradictione autem vel mala oboedientia vel murmuratione vel contentione vel contumacia harumque rerum similibus conventus cognoscet universus ».

4. Eiusdem.

10 Quoniam autem etiam dixisti : « Iurare mihi eos iubebo de rebus ex illo tempore usque in hunc diem *factis* », noli eos interrogare. Alius quidam eos iam interrogavit, ne dicam, eos omniaque eorum opera scrutatus est. Qui paenitentia tactus ea dicere paratus erit, te docebit. Dico res ex * eo tempore, quod significavimus, *factas*. p. 21.
15 Non dico ea, quae post hoc decretum fient. Memento, quae tibi dixerim — in omnibus illis *rebus* nihil prorsus te celavi — iam animum tuum tranquillum reddes.

7. Ad Tachom matrem.

Sinuthii epistula.

Sinuthius scribit ad Tachom sicut *homo* barbarus ad barbaram,
20 non autem sicut pater ad matrem neque sicut frater ad sororem.

Si usque ad hunc diem me non novisti, ego te novi. Neque enim nuper te cognovi, sed novi te ab initio. Si dico : « Si commutatus essem, quid faceretis (fecissetis)? » hoc valet : « Si commutatus non essem, non inciperetis (coepissetis) iterum turrim excitare »[2]. Ubi sunt dies,
25 quibus ad vos cum qua poena venire consueverim scis vel scitis, ita ut imbecilla vestra vox vicum, in quo estis, repleret, non ac si in vos dominarer[3], sed amore Dei ductus. Cum Dominus Deus illorum linguam confudisset, num accepimus vel scriptum vidimus eos reversos iterum eam *i. e.* turrim illam excitasse? Miror autem, quod
30 saepissime Deus linguam vestram apud vos et apud nos confuderit[4]; dico falsam nostram scientiam, nostram ipsorum astutiam, cogitationes nostras malas, quae nos decipiunt. Ac *tamen* reversi iterum turrim

[1] Cf. Marc., x, 19. — [2] Cf. *Gen.*, xi, 4. — [3] Cf. II *Cor.*, i, 23. — [4] Cf. *Gen.*, xi, 7 et sq.

educimus. Illi quidem eo tempore, quo lateres ex luto fingebant[1], mercedem ex animi sententia receperunt per patientiam illius, *qui eos secundum ipsorum cupiditates tractavit, supremi Dei. Qui vero nunc turrim educunt, ne eos dicam singulos, eorum tota dispositio (?) est ex malitiis satanae. Illi quidem pro sua stultitia dixerunt[2] : «Excitabimus eam, *ita ut* fastigium eius caelum attingat». Contra vero qui hanc omni loco educunt, ii sapientes sibi videntur, *ita ut* animus eorum thronum et tribunal Dei attingat. Ego dixi : «Si nescis id convenire, ut mittas nobis *aliquem, qui* dicat : «Ignosce mihi!» — etiamsi in te peccaverimus, quod non perreximus omnibus his diebus ad te mittere eum, cui obviam prodire dignata non es — nihil adhuc tibi sapis. Et si pater tuus non est — secundum ordinem et secundum leges Dei est — quem misimus, ne tu quidem pro tua parte mater es. Si negas, quem nos ad te misimus, eum ipsum maxime tuum secundum carnem fratrem esse, tu quoque discidium inter nos et te effecisti». Si nos dicis eum esse : qui scribit ad te haec verba, ille est, cui[3] obviam non prodiisti neque omnino dignus erat. An vero opinaris tibi esse cum eo disceptandum? Sed si mater sapiens non[4] es, profecto quid faciant omnes *illae,* quae matrem te appellant, ut sine te sapientes fiant? Si sapientes sunt, centum de iis non sufficiunt ad consilium tecum capiendum [...

(* p. 22. — margin line numbers 5, 10, 15, 20)

8. Ad magistratum quendam gentilem.

...sa]lus animae eorum, ei commissi (?) sunt et praeterea etiam loca eius sancta. Neque vero de reliquis rebus, quas commemorasti*, turbati sumus. Nondum enim ad locum sanguinis fundendi pervenimus[5]. Porro autem scriptum legimus[6] : «Nolite timere eos, qui occident corpus vestrum».

(* p. 23. — margin line number 25)

9. Ad Dorotheum praesidem.

I. Epistula Dorothei.

Epistula Dorothei ducis ad patrem Dei amantem *et* sanctum apa Sinuthium.

Dorotheus scribit ad religiosissimum apa Sinuthium.

[1] Cf. *Gen.*, xi, 3. — [2] *Gen.*, xi, 4. — [3] Lege ⲚⲦⲞϤ [ⲠⲈ]ⲦⲈⲘⲠⲈⲈⲒ. — [4] Lege ⲀⲚ pro ⲞⲚ. — [5] Cf. *Hebr.*, xii, 4. — [6] Matth., x, 28; Luc., xii, 4.

Rapinae, quas facere ausi sunt in Themistium, *virum* illustrem et scholasticum... (*desunt pauca*)... inquisitione (?) publica compertum est quendam nomine Martyrium et Abrahamum eiusque fratrem Macarium apud tuam pietatem versari omnia*que* vasa aurea in eorum
5 manibus esse. Neque parvus eorum numerus est neque occultari poterunt sive solidi sive pignora pretiosa. Velit igitur nunc pietas tua, ubi hoc scriptum acceperit, vasa *illa* quidem aurea in tuto collocanda curare, homines autem, qui... Pietas tua [eos ad me mittat (?)
(*desunt pauca*)
...]eiusmodi rapinae. Decet enim pietatem tuam cum legibus et
10 iure congruere. Consequenter autem factum est, ut hac epistula publica uterer, quoniam res parvi momenti non est.
*Dominus pietatem tuam, mi pater, Dei serve, proteget! * p. 24.

II. Responsum Sinuthii.

Responsum, quod pater noster sanctus Dorotheo duci misit rescriptum ad ea, quae ei scripserat... (*desunt pauca*)... omnis animi dolor.
15 Sed si tristitiam meam per te augeri non decet, quoniam, cum litteras tuas accepissem, primum quidem Deo gratias egimus, quod mala, quae in me moliti erant, mihi non acciderunt. Quid cuiusque porro animus recepturus et quid lingua dictura sit [1], vos scitis. Deo rationem reddetis. *Ego* in manus eius veniam et *vos* venietis et ipsi. Si loca
20 eius sancta aequastis deversoriis latronum[2], vos utique interrogabit. Ego innocens sum et conventus eius innocens. Nihil eiusmodi impium invenietis, quod ad sacraria Christi referatur. Si mentiti sunt Deo[3] secundum *sanctas* litteras — inimici enim Domini mentiti sunt ei[4] — nonne mendacia dicent, nonne maledicta conicient in eos,
25 qui spem suam in eo reponunt[5]? Nos in monasteriis nostris versamur, ut ludibrio simus. Vos ipsi suadetis res quasdam loco rerum aliarum. Sed potius in litteris tuis dixisti : «Vasa aurea custodi, homines ad me mitte! Vix ea nobis numerasti et h[omines] quoque, [qui] mihi ea concredunt». Socium *ergo me facitis furum? Neque ego * p. 25.
30 ex hoc tempore monachus vel sacerdos sum. Vosmet igitur dixi esse conscios. Quas res cumque volueritis, quae verba cumque volueritis, dicite et facite praeter verba multa! Ecce cura mea in Deo

[1] Lege cum B πετερε-πεqλⲁⲥ ⲛⲁϣⲭⲟⲟq. — [2] Cf. Matth., xxi, 13. — [3] Cf. *Act.*, v, 4. — [4] *Ps.* lxxx, 16. — [5] Cf. *Ps.* cxlv, 5.

infixa est. O vos felices omnes! Gratias utique agimus Deo et legibus neque eas fugimus neque solliciti sumus.

Precor, ut salvus sis in Domino, mi frater, quem diligo carum*que* habeo.

10. Ad Theodosium ducem.

Responsum ad ea verba, quae Theodosius dux fecerat. 5

Sinuthius scribit ad Theodosium comitem. — Quoniam ad me misisti : «Compara tibi scientiam»[1] et «Ne inveniam homines in loco tuo» et «Misi concilii causa ad sabbatum convocandi», scire te oportet conveniens non esse, ut verba in hominem prolata credantur. Distinguere nescivisti. Iudicabitis de me a vobis absente. Vos 10 scitis. O vos omnes felices! Quilibet Deo rationem reddet. Me non invenietis in eiusmodi re, neque congregavi[...

11. De Theodosio duce.

...qui non] celabunt ea, erunt iis cari et amici. Qui vero e vobis ea celabunt, quae dicitis me fecisse, mihi odiosi et inimici sunt. Et si Deum cognovistis vel ad Iesum pertinetis, profecto exsecratione 15 *p. 26. digni estis neque evitabitis, * ne negemini coram angelis Dei[2]. Nam vos ipsi simulastis coram eo, postquam verba improba in epistulis in me efformastis. Improbitas enim in vobis est, quod ea scripsistis. Maior *vero* improbitas in vertice[3] capitis vestri est, quod vivere me sivistis, si secundum opera, quae mihi assignastis, morte dignus 20 sum. Et fortasse propterea, opinor, dira illa divinitus exsecratio in impium illum ducem irruit : tradidit enim eum manibus regum, ut poenas ab eo repeterent, priusquam sane venit in manus eius, qui de illo et de vobis iudicabit, de illo quidem, quod mihi caput non praecidit, de vobis autem, quod opus vestrum, o amici, non absolvistis. 25 Ne ego nisi te, urbs Panos, excitavissem pro operibus tuis, iniuriis et cultibus Saturni, ex vano ad magistratus me delatura eras! Alieni homines unde sciunt me esse bonum vel malum? Unde *fit*, ut impurus ille iudex, qui largitione corruptus illas calamitates sibi intulit, haec verba proferre audeat, modo quidem : «Quid faciam 30

[1] Cf. *Prov.*, IV, 5. — [2] Cf. Matth., X, 30; Luc., IX, 26. — [3] Lege ⲥⲟⲟⲩϩⲉ (W. Spiegelberg).

sacrariis Christi?» modo autem etiam : «Interficiam eum?» Sicut etiam miser ille dux ad me misit : «Compara tibi scientiam[1]!» Quid ipse lucri habuit praeter... | ...

12. Ad Caesarium comitem.

De discrimine monachorum et saecularium.

Sinuthii.

5 Brevis dissertatio ad Caesarium comitem et *scholasticos magnatesque eius et alios urbis magistratus *habita*, cum nobis in aedificio quodam conventus sedentibus dixissent : «Concupiscimus opera Dei, sed imbecillitas nostra nos impedit». * p. 27.

Respondi eis : «Bona, inquam, vestra hilaritas est, o amici, et 10 acceptum vestrum in pietatem desiderium. Sed quoniam imbecillitatem nostram allegamus excusationem, exemplum vobis proponam.

Homo quidam aedificium in usum suum constructurus erat; multi lapides ante eum erant, alii magni, alii pusilli; vidit multos, 15 quos auferre non potuit. Cum autem nullo illorum tacto rediisset[2], secum reputavit : Nonne insanum est, quod evenit? Quin leves abstuli?»

Porro dixi iis : «Tria onera bona iuxta posita sunt similia illi, de quo Dominus dixit[3] : «Onus meum leve est». Haec alia aliis 20 minora sunt, ut in evangelio scriptum est. Dixit enim[4] : «Unum quidem tulit centum, aliud vero sexaginta, aliud vero triginta». Nonne pudori nobis est, quod, si primum et alterum ferre non poterimus, etiam tertium ferre omittemus?»

Hae porro duae parabolae una sunt. Nullum illis quidem opus 25 Dei, qui diligunt eum, difficile est; sed hoc dico : Si virgines esse non poterimus, tueamur matrimonium, quod Deus honestum et sanctum reddidit. Si crucem nostram tollere Dominumque sequi non poterimus[5], misericordes in indigos simus, quantum possumus. Si sine intermissione[6] precari non poterimus, pro viribus nostris 30 precemur. Si omnia iura ac mandata observare aut omne bonum perficere non poterimus, pro viribus nostris agamus *et* delectemus *Dominum gratiarum eius ope fructum pro nostris viribus ferentes, ut * p. 28.

[1] Cf. *Prov.*, IV, 5. — [2] Vel : Cum autem id... construxisset(?). — [3] Matth., XI, 30. — [4] Cf. Matth., XIII, 8; Marc., IV, 8. — [5] Cf. Matth., XVI, 24; Luc., IX, 23. — [6] Cf. Luc., XVIII, 1; I *Thess.*, V, 17.

nobis delectetur. Et si hoc fecerimus, procul a vita non aberimus[1], sed in regno Christi erimus cum omnibus sanctis et iustis antiquis, qui longas illas vitae aetates vixerunt perfecti et Deo vere accepti.

Videte, quomodo Verbum ei, cuius quinque talenta quinque etiam reddiderant, loquatur[2] : « Intra, inquit, in gaudium Domini tui ! » Item ei, cuius duo talenta duo etiam tulerant : « Intra, inquit, in gaudium Domini tui ! » Industria enim eadem est, etiamsi in re multis commissa est differentia.

Videte porro, cuiusmodi sit gratia operariis horae undecimae concessa. Sed excusationem iis attulit, quod dixerunt : « Nemo nos conduxit[3] ». Quae quidem sunt verba omnium, quos, ubi edocti fuerint, paenitebit. Maxime vero hoc « nemo nos conduxit », quod est « vocavit eos », ad ethnicos convenit, dum advenit is, qui eos procreavit *et* misericordiam iis impertivit *et* dixit[4] : « Venient ab oriente et occidente et aquilone et austro et accumbent in regno Dei ».

Porro hoc : « Pullus asinae, quem nullus unquam homo conscenderat[5] ». Eum non conscenderunt. Nescitne procedere? At didicit et mansuefactus est ab eo, qui omnia iumenta a primordio effecit, Dominus Deus et filius Dei. — Praeterea hoc dictum[6] : « Non didicerunt ne*que* intellexerunt Deum ». Ex inscitia sua * ad veram scientiam praedicatione evangelii venerunt. — Porro autem hoc[7] : « Asina et pullus, filius subiugalis ». Asina et pullus asinae ex Iudaeis sunt, qui Deum vere servatorem cognoverant. « Subiugalis », quoniam patrem noverunt ab initio *et* patri serviunt; cognoverunt filium et filio servierunt et Trinitas iis spei fuit. Attendite autem nos hoc dicere studii honestatis alendi causa neque dictum auferre; sed eos vere conscendit secundum vaticinia sanctorum.

* p. 29.

Nos vero ipsi quid dicemus? Non solum a Dei ministris vocati sumus, verum nos vocavit ministrorum Dominus. Et quis non properabit, ut scriptum est[8], sequi odorem unguentorum eius? Praeterea autem qui omittet pro viribus operari, non differt ab eo, qui talentum suum in terram defodit[9], aut *ab* eo, qui mnam in sudario reposuit[10]. Sed absit, ut hoc fiat! Fructum enim feremus centuplum. Neque is, qui tricies tantum *fert*[11], ab eo, qui sexagies tantum *fert*, longe distabit; neque is, qui sexagies tantum *fert*, longe ab eo,

[1] Cf. Marc., xii, 34. — [2] Matth., xxv, 14-23. — [3] Matth., xx, 7. — [4] Luc., xiii, 29. — [5] Luc., xix, 30; Marc., xi, 2. — [6] Cf. Ps. xiii, 2; lii, 3; *Rom.*, iii, 11. — [7] Zach., ix, 9; Matth., xxi, 5. — [8] Cf. *Cant.*, i, 3. — [9] Cf. Matth., xxv, 25. — [10] Cf. Luc., xix, 20. — [11] Cf. Matth., xiii, 23.

qui centies tantum *fert,* distabit in regno caelorum secundum praedicationem eius, qui nos ad illud vocavit, — salvator hominum amans, Deus et Dei filius. Ne *ille* si semet ipsum pro nobis dare non dubitavit, quanto magis bona sua *tradet*[1]!

5 Sed postquam haec diximus, ad universam multitudinem prodiimus. Et cum his omnibus quae opus erant dixissemus, Caesarius comes respondit : « Ora pro nobis, ut ad ea, quae nobis dixisti, faciamus! » Cui dixi : « Ego ipse quoque racemum alium super alium decerpo et in sacculum conicio ». Et * persuasit multis militibus, * p. 30.
10 ut remanerent, et iis omnibus in ea re, quam ab eo petebant, morem gessit. Deinde a nobis discessit.

13. Ad Taurinum praesidem.

De tumultu quodam Alexandrinorum.

Sinuthii.

Paucis autem rursus diebus post Caesarius comes Taurinum praesidem adduxit, ex consuetudine sua ascendit, illi simul duo
15 eorumque scholastici et primores amicique familiares. Cum de iis, quae Alexandreae in exiguo intra ecclesiam tumultu facta erant, loqui coepissent, cum multis inter se verbis prodierunt disputantes, ac si vellent, ut nos ab ipsis defenderemus.

Ubi vero nullam perspeximus esse in iis, quae opinarentur,
20 utilitatem eosque, ut de iis rebus, quas supra commemoravimus, verba faceremus intempestiva, lacessere nos interrogando : « Cum quo homine licet conversari? », respondi iis : « Si hoc vobiscum nomine meo dissero, vestra intellegentia ad ea, quae quaeritis, comprehendenda sufficit. Audite nunc! Si bonus sum, mecum conversamini;
25 si bonus non sum, nolite conversari. Si bene ordinatus sum, iter, quod ad nos direxistis, bonum est prorsusque utile. Si bene ordinatus non sum, nolite laborem suscipere inanem. »

Praeterea iis dixi : « Quae molimini in navibus et in cauponis atque consessibus et in oppidis vel etiam alio loco, ea dimittite et *quae- * p. 31.
30 rite res ad caelum spectantes[2]. Et quando domum veneritis, ea si utilitatem vobis afferant, etiam invenietis; at non afferunt vobis utilitatem. Propterea vestram incito prudentiam, ne illis implicemini, sed ut animum intendatis ad res sacras, quae vobis erunt emolu-

[1] Cf. *Rom.*, VIII, 32. — [2] Cf. *Col.*, III, 1.

mento. Illa enim universa, quando Deus voluerit, praeteribunt. — Considerate solem : quem quae abscondunt nubes, saepe multae sunt, *sed* non modo in cursu suo eum non detinent, verum etiam reversus apparet idem*que* rursus est in splendore suo. Eadem est ratio ecclesiae Christi, magis etiam eadem manet. An si portae inferi 5 non praevalebunt adversus eam, quemadmodum ipse Dominus ore suo verissimo dixit[1], quomodo eam labefactare viri poterunt haeretici omnesque homines, quorum fides stabilita non est? Quandoquidem ipsi sunt portae inferi et portae mortis, quoniam qui eorum opera pereunt, multi sunt. Scriptum est[2] : « Iudicate de iis, quae 10 intus sunt ; de iis, quae foris sunt, Deus iudicabit ». Quae intus sunt, ea sunt, quae familia non excepta in cuiusvis animo manibusque sunt. Quae foris sunt, Deus quoquo modo iudicabit. Quae autem foris sunt, ea sunt, quae praeter nostram virtutem in nos irruerunt ; horum sanatio facta est per Deum solum. Similiter etiam quoad 15 Deus eiusque Christus vobis quasdem permisit actiones, quibus divites fietis, eas peragere studete cum vestro totiusque vestrae familiae emolumento ».

Hoc idem verbum etiam Marcellino duci feci ipsique porro Chry- *p. 32. sippo comiti eiusque pueris * sociisque eorum, cum ad nos venissent. 20 Et Chrysippus ille *quidem* in Panos urbe erat iis diebus, quibus ex domo istius impii omnia volumina abstulimus. Et haec fuit ratio, quod eum iniuriae nobis inferendae cupidum adiit. Socius quidam amicus mihi indicavit Chrysippum misero illi dixisse : « En incusatio (?) tua super me ; ego enim christianus sum ». 25

14. De sapientia magistratuum.

...]philosophus. Multi homines variique pro sua quisque ratione ad nos venerunt neque *tamen* has huiusmodi stultitias dixerunt. Praeterea si qua de re quaerebant, prudenter quaerebant.

Porro autem multi me Hermopoli (Šmun) et Antinoëae de multis verbis multisque rebus consuluerunt neque *tamen* ad has huiusmodi 30 ineptias *descendere* ausi sunt.

Cum Alexandro duce et Petro quoque duce saepenumero locutus sum neque *tamen* has huiusmodi stultitias protulerunt.

Etenim tecum et cum Aedesio comite et Petro duce intra praeto-

[1] Matth., xvi, 18. — [2] I *Cor.*, v, 12 et sq.

rium confabulatus sum; neque *tamen* has huiusmodi ineptias dixerunt. Quodsi malitiam in animo suo recondiderunt, tu eos novisti; amici enim tui sunt.

Nonnulli errorem *illi* quidem in ista urbe proponere coeperunt;
5 sed cum quid deceret eos docerem, ab abundantia loquendi cessaverunt; sciebant *enim*, quod ex *sacris* libris iis promerem, id verum esse. Filius ducis exercitus, qui illis diebus in urbe erat, *ille* quidem ad has confusiones *descendere* ausus est, velut cum alio * homine iusto disceptavit : «Hoc corpus, inquit, non resurget». Sed ubi
10 impietates eius, cum ad me in templum ascendisset, reprehendi, me praesente eiusmodi res proferre non perrexit, verum etiam peccatorum suorum paenitentiam egit.

* p. 33.

Porro autem tribunus Cusitarum, cum ad nos venisset, de multis rebus me consuluit, neque *tamen* huiusmodi dixit stultitiam, sed
15 prudenter quaesivit. Ita enim dixit : «Sacerdos simulacrorum cultor vel *homo* iudaeus vel ethnicus vel manichaeus vel alterius haeresis *sectator*, qui Deum ignorant neque in filium eius Iesum credunt, si hominibus identidem benefaciunt, Dominusne eos ad se recipiet? aut eruntne gratiae participes?» Quem ego ex *sacris* litteris ita docui :
20 Omnes ii, qui non credunt, si iustitia eorum vel caelum attingeret[1]. — non illa quidem attinget, sed cinis est — si in impietate morientur, in loca inferna descendent[2]. Sicut enim arbor, propterea quod multi eius fructu vescuntur, loci quietis particeps non fiet, ita [requies non[3]...

15. De modestia clericorum et magistratuum.

25 ...]... et qui iudicium recte exercebit[4], eius pietas confirmabitur[5], cum iustitia eius immota sit[6]. Dabitur ei panis[7], quae est lex divina, et eius praecepta ei fidelia sunt[8] praeceptisque suis fidelis est exsecutione. Hic personarum acceptioni pudorem incutiet Deum*que* iudiciis suis et misericordiis in egenos delectabit, ita ut multi ex iis,
30 qui ei succedent, iusta eius sequantur. * Errorem enim converti mercedem[9] in eos, qui iustum proculcaverant. Hunc servator Dominus Iesus familiamque eius universam benedictione sua potius

* p. 34.

[1] Cf. *Gen.*, xi, 4. — [2] Cf. Marc., xvi, 16; Ioh., iii, 36. — [3] Sive ⲙⲛⲙ[ⲁⲛⲙⲧⲟⲛ locus quietis (K. Sethe). — [4] Cf. *Ps.* cxi, 5. — [5] Cf. *Ps.* cxi, 8. — [6] Cf. *Ps.* cx, 3; cxi, 6. — [7] Cf. *Eccli.*, xv, 3. — [8] Cf. *Eccli.*, xxxiii, 3. — [9] Cf. *Rom.*, i, 27.

remunerabitur quam eos, qui donis ei persuadebunt animae suae insuper nocentes[1].

Porro autem hoc quoque dixi : « Omnes animo ardenter concupiscimus atque consectamur dignitates sive magna nomina atque adeo ipsius episcopatus vel sacerdotii. Opera vero magis neglegimus neque nobis curae est, quod Deus nos percontabitur de omnibus rebus, num eas omiserimus vel in mentem nobis omnino non venerint. Ad nomen omnes animum dirigimus et non ad opera. Neque *hoc* nobiscum reputamus : si fides, quod est pietatis fundamentum et carentes ea homines Deum cognoscere non poterunt[2], sine operibus, *ut* scriptum est[3], inanis et mortua est, quanto magis inane et mortuum est nomen ab operibus iustis ac puris verisque vacuum ! »

Propterea hanc quoque rem, si dicere me decet, invitus equidem, tamen audientium utilitatis causa dicam inimicum irridens et pudore rursus hac quoque re affecturus. Omnes enim scitis, quot episcopi quot dies quotque noctes cum multitudine clericorum et magistratuum et militum cumque ipsorum quoque populis iussu archiepiscopi litterarumque eius hoc loco traduxerint *id agentes*, ut ad eum proficiscerer ob illud mandatum : « Episcopus esto! » Profectus non sum ea quoque mente, ut nomen Dei hac re illustraretur[4] ; videbam *enim* multos cum opibus suis rabiosos ad nomen contendere assequendum et non ad opera exsequenda ignominia*que* dignitates Christi afficere ob * gloriam instar faeni fructu carentis inanem. Magis autem profecto miror (?), quod *ea* loca, ad quae mala eorum, qui ut nomen auro sibi arripiant inter se contendunt, fama pervenit — bona rursus fama cupiditatem dominatus conculcantis praeteriit, non forte Alexandream solum vel Ephesum, sed etiam comitatum atque adeo aulas regias instar luminis caliginem abigentis et turbinem discutientis, quemadmodum vere cognovimus, cum peregre essemus in magno consessu sacri concilii oecumenici; archiepiscopus *enim ille* honoratissimus testis erat etiam archiepiscopis et episcopis quoque omnibusque, qui convenerant, cum, quod evenerat, narraret laudans et illustrans potius quam vituperans; haec *enim* et alia proferebat : « Accivi eum ad illam rem, non venit. Sed cum ad eum scripsissem, ut nobiscum ad concilium veniret, operae non pepercit : primus ad hanc urbem pervenit, cum etiam episcopis praecurrisset et advenisset, priusquam quidquam diiudicavissemus. »

[Margin: 5, 10, 15, 20, * p. 35., 25, 30, 35]

[1] Cf. Matth., xvi, 26. — [2] Cf. *Hebr.*, xi, 6. — [3] Cf. Iac., ii, 26. — [4] Cf. II *Thess.*, i, 12.

Haec autem dico non memet ipse exornans, sed vobis significans convenire nobis gloriam illam contemnere humanam, ob quam multi inter se simultates suscipiunt, qui [dominandi] cupiditate incensi ea, quae ad breve tantum *tempus* vigent, [insectantur], ea vero,
5 quae in perpetuum manebunt[1], obliviscuntur.

Pergo rursus hoc quoque dicere : «Multi divites non solum non adducentur, ut famulos suos *secum cibum sumere patiantur, sed[2]... *p. 36.
velut si hoc ipsis ignominiae sit. Quin Dei Christi in homines caritates attendemus? Qui homo propter [salutem] nostram factus
10 non modo cum famulis suis apostolis et *cum* peccatoribus quoque publicanisque accubuit[3], sed etiam promisit eos in regno suo secum super mensam suam comesuros et potaturos esse[4]».

Porro autem etiam hoc dixi : «Nonne homo famulum, si lumina is amisit vel alia res turpis ei contigit, in conspectum suum venire
15 prohibet? Et quid est nobis, ut in conspectum Christi Iesu consistere nos non pudeat, cum singuli de culpae suae praeter omnis generis pollutiones turpidine sibi conscii sint? An quisquam si oculum alicuius servi sui restituere posset, eum non sanaret? Nullo is quidem modo suum, si perierit, sanare poterit, nedum alterius. Nonne
20 autem contra Deo in omnia potestas est? Quin eum obsecrabimus, ut oculis medeatur animi nostri et... Leprosis et caecis cum rogarent : «Domine, si vis, potes nos mundare»[5] et «videre volumus»[6], quid misericors *ille* respondit? Illi quidem dixit : «Volo, mundare!» Statim mundatus est. His *autem* aliis : «Videte!» Viderunt. Quid
25 [igitur] fieri *oportet*, ut nos animos nostros ei aperiamus *et* clamemus : «Domine, si vis, potes nos expedire ab omni iniuria et liberare nos ab omni [maliti]a et eximere nos ab omni immunditia *et *p. 37.
oculos mentis nostrae aperire»? Et si *nos* purgari cupimus, profecto magis *ipse* desiderat nos purgare.»

30 Dixeram autem etiam hoc laudibus eum prosecutus. Steterat enim in templo, quoad universa multitudo — magna enim erat — de sacrificio sancto sumpsit. Ita ei dixi : «Quantum discrimen(?) est inter *eum* ducem, qui ante Christum nunc stat adorans eum, et *eum* ducem, qui, dum Deus Iesus salvator ante eum stat, pro tribunali
35 sedet[7] eum condemnans! Illae enim horae tres, quibus ligno affixus

[1] Cf. I *Cor.*, IX, 25. — [2] Aliqua videntur intercidisse. — [3] Cf. MATTH., IX, 10. — [4] Cf. MATTH., VIII, 11. — [5] MATTH., VIII, 2; MARC., I, 40; LUC., V, 12. — [6] MATTH., XX, 33; MARC., X, 51; LUC., XVIII, 41. — [7] Cf. MATTH., XXVII, 19; IOH., XIX, 13.

erat, totam ecclesiam cum Deo et cum ipso coniunxerunt. Videte, quanta sit super nos benedictio, nos et parentes filiosque nostros atque universum Christi gregem! Animadvertite autem contra, qualis maledictio venerit super Herodem regem et magistratus quoque, qui eum cruci affixum irriserant, et omnes, qui in eum 5 non crediderant, maxime vero impios illos summos sacerdotes illius temporis atque etiam illos sacerdotes et scribas quoque, qui *exemplo suo* nocuerant toti multitudini totique populo, ita ut in eum non crederent».

Porro ei dixi : «Gladius magistratui aut militi datus non est, ut eo 10 subvert[at...

16. Magistratus quidam e monasterio pellitur.

Sinuthii.

* p. 38. *Ea* nocte, qua homines illos rudes in domo *Dei ad lucem diei noni mensis tybi inclusos *et* vinctos instituimus, postquam impuros illos e locis Christi removere decrevimus, cum Celsissi- 15 mum, universitatis dominum, rogarem, utrum conveniret in his coenobiis eos retinere an radicitus eos ex his evellere deceret, hanc ego vidi rem.

En homo magistratui similis, qui a maiore se missus erat, per portas horum coenobiorum venia non petita penetravit, quem alter 20 sequebatur, ac si ipse huius minister esset. Transeuntem me per horum locorum vias animo*que* de hominibus istis pestiferis dolentem cohibuit. Manum in me tollere coepit, ut mecum certaret instar *hominis* illorum[1] rationibus servientis. Ego quoque eum impugnavi ita, ut eum re collo eius obvoluta sive e cervicibus eius suspensa suffo- 25 carem, cum haec verba proferrem : «Nihil prorsus timeo neque perturbatus sum». Quaesivi ex eo : «Tu quis es? Cur tu occultus es neque manifeste apparuisti? Si tu es spiritus vel angelus, qui a Deo venit, ego ipse quoque servus eius sum. Etiamsi *tu* siles, *ego* non silebo. Vel si te miserunt, doce me, utrum illi in Deum peccaverint an 30 nos in eum peccaverimus; cogitamus enim e numero nostro eos amandare. Si minus, te non dimittam, sed fortius contra te

* p. 39. dimicabo.» Cum haec et alia dicerem, fugiendi *cupidus mecum decertavit. Et ego cum eo luctatus in eum vel *potius* super

[1] ϩⲁⲡⲉⲧⲙⲙⲁⲩ (?) = illius.

eum praevalui. Sed cum me deturbaturus videretur, eum ipsum humi prostravi, praevalui super eius pectus pedibus consistens et fratribus, quos circa videbam per totam hanc rixam me spectantes, succlamans : «Capite mihi alterum!» Cogitabam enim cum animo 5 meo : «Fieri non potest, ut homo spiritum vel angelum Dei superet; sed homines si eos conspexerunt, timore perculsi humi procumbunt, licet ii, quibus apparuerint, ad huiusmodi cogitationem aegre consurgant». Ecce illos duos cito patuit daemonia esse et cognovi hoc esse satanae studium, ut societates in monasteriis congregatas 10 inducat ad mysteria iniquitatum[1] eorum, qui opera offensionem afferentia in iis perpetrant, toleranda, quoad mala herba nostra germen bonum longe superet. Homines enim iis, qui inter male agentes numerantur, placere maluerunt quam placere Deo[2]. Ita unum propter eius patrem, cum eum vereantur, non expulerunt, 15 alium propter eius fratrem, alium propter desiderium inane, alium propter simulationem et personarum acceptionem, alios veriti impuros et reprobos : omnia propter homines et non propter Iesum, quemadmodum multis saepe locis diximus, non solum nos, sed etiam ii, qui ante nos fuerunt a Deo vere selecti. Num testi- 20 monio *ex aliis partibus indigemus ad membra, quae in corpore * p. 40. corrupta sunt, abscindenda? Nonne *sacrae* litterae[3] sufficiunt, quae *nos* iubent «eradicare et destruere, aedificare et plantare»?

Sed vos, fratres, docui inimicum decipere multos ex iis, qui omni verbo[4] et omni spiritui facile credunt[5]. Ita multis in locis fieri 25 solet, cum multi pro impietate dimicent, quia spiritui erroris praeceptisque daemoniorum confidunt. Profecto malum non est, si homo Christi amans cum spiritu bono luctatur. Si ei manifesto apparuit, eum ipsum plus diligit et de eo laetatur; scit enim sibi eum non adversari, sed vigilare atque cavere, ne *ad pedes* daemonii 30 se prosternat neve sub spiritus inimici, quem pro angelo sancto ducat, potestatem redigatur.

Ceterum etiamsi in iisdem coenobiis habitem cum hominibus maribus et feminis, adultis viris et feminis adultis, pueris parvis parvisque puellis, etiamsi sumam cum iis, etiamsi sumant mecum 35 de mysterio, etiamsi precer cum iis, etiamsi precentur mecum, etiamsi cibum sumam cum iis sumant*que* mecum vel manus mea

[1] II *Thess.*, II, 7. — [2] Cf. *Gal.*, I, 10; *Eph.*, VI, 6; Col., III, 22. — [3] Cf. Ier., I, 10; XVIII, 7. — [4] Cf. *Prov.*, XIV, 15; *Eccli.*, XIX, 16. — [5] Cf. I Ioh., IV, 1.

et manus eorum in hac eadem patella super hanc eandem mensam sint[1], audeant vero opera Dei ulla *re* impura sive sordida perdere in hac domo sivè his domibus et his coenobiis, quae magnis laboribus magnaque vi auri et aeris rerumque omnium in eius nomen aedific[avimus], omnes eos non recipiam[2], dum eos disposuerimus, 5 ut animae proficiant et animae in omni sanctitate ad Deum accedant.
* p. 41. Non solum per vitae * meae dies secundum ea, quae saepe dicta sunt, iis adversor, etiamsi verbis placidis cum iis loquor, etiamsi partes gaudentis cum iis vel fausta iis precantis ago, *sed* gravissima urgentur *ipsi* omniaque eorum opera exsecratione et, qui opera eorum 10 noverunt et contegunt, gravissima simul cum iis exsecratione urgentur omniaque eorum opera.

17. Adversus Graecos : de mortibus hominum.

Sinuthii.

Redarguamus autem etiam *homines* cogitatis mentis confusos, qui intellectu sibi difficilia exquirunt, maxime vero istos Arianos et Graecos, 15 qui rebus vanis vacant considerandis, indecentia de hominibus morientibus proferentes, cum quosdam aetates degisse longas, donec ad summam senectutem venerint, alios mature decessisse viderunt, *et* dies singulorum definitos esse affirmantes. Ita non est. Absit enim, ut hoc sit[3]! Ne*que* quisquam morietur neque quisquam vivet absque 20 Deo eiusque Christo. Non uno haec vox cum istis hominibus insipientibus tempore certat : « Quid, inquit[4], de Domino meditamini? » Ipse enim consummationem adducet.

Incipiam igitur dicere, quid factum sit, idque etiam est, quod
* p. 42. fiet[5]. Nonne Dominus dicit[6] : « Nonne duo * passeres asse veneunt? 25 Et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro, qui in caelis est »? Si nullius obliviscitur passerum, quanto magis *nullius* hominum. Nihil aliud rationi consentaneum est nisi dicere : « Iniussu Dei nihil fiet ». Haec quidem diximus, cum ad linguas perturbatorum occludendas sufficiant. 30

Proponam autem etiam exemplum ad persuasionem prudenter inquirentium *appositum*. Sicut homo regius, cui in terra quapiam sunt ministri, arcessit eos, quo tempore ei libet, alios quidem arces-

[1] Cf. Matth., xxvi, 23; Luc., xxii, 21. — [2] Lege ⲉⲛϯⲛⲁϣⲱⲡⲟⲩ (K. Sethe). — [3] Cf. *Rom.*, iii, 3, 6, 31; vi, 2, 15. — [4] Cf. Matth., xvi, 13; xxii, 42. — [5] *Eccl.*, i, 9. — [6] Matth., x, 29.

sit post dies multos, alios arcessit post dies paucos, alios cito arcessit — tantummodo eam legem statuit, ut qui voluntati suae in terra illa paruissent, ii honores a se reciperent, eos vero, qui mandatum suum ac voluntatem sprevissent, condemnaret — ita Deus hominem ad arbitrium suum tractat : alii quidem hic morari sinuntur, alii *autem* cito auferuntur.

Sicut fieri nequit, ut homo sine Dei eiusque Christi *beneficio* oriatur, *ita* ne hoc quidem fieri potest, ut quis sine eo moriatur. Opera et statuta eius ab initio etiam eadem manent. Quidam quidem de generibus antiquis, postquam ad DCCCC annos pervenerunt, ex ipsius decreto mortui sunt[1]. Deinde post illos quidam CC annos vixerunt, alii CLXX annos, alii CXLVII annos, alii CXX annos illis temporibus vixerunt; alii CX annos vixerunt vel *etiam C *sive* integros sive aliquibus etiam annis carentes, alii L annos vixerunt et *alii* his debiliores deorsum usque ad horam, alius cum natus esset, decessit vel in utero mortuus est[2]. Nec hos nec alios Deus eiusque Christus neglegunt, atque blasphemum est dicere homines omnino conditore suo non interveniente mori, etiam eum ipsum, qui a fera vel alio serpente morsus est, maxime eos, quos mali homines occidunt. Non neglegit eos, sed pro sua patientia lentus est[3] usque ad eum diem, quo in hominum malorum caput suam mercedem retribuet et sanguinem ab ipsis occisorum in occipitii eorum verticem[4]. Si quidem hominem de interfecto quodam consolaris, non dices ei : « Haec aetas eius *fato definita* est ». Aetas autem eius *definita* haec non est. Si haec eius aetas *definita* est, curnam sanguinem eius ab interfectore repetet[5]? Homo si obduruit, tempore non suo moritur, sicut scriptum est[6]. Est autem etiam homo, qui praeter tempus suum occiditur. Propterea vae omnibus iis, quos sanguis a se occisorum apud Dominum omni tempore reos facit[7] ! Poena enim de iis quoque exigetur septemplex[8] et castigabuntur etiam multis suppliciis, quae a suppliciis Caini non different, cuius quidem fratris vox sanguinis Dominum ipsius Deum non prateriit[9]. Neque vero fieri potest, ut sanguis cuiusquam iusti effusus Dominum fugiat. Repetet enim omnium eorum sanguinem[10]. Sin *autem utique volemus, dicemus de iis, super quos muri corruunt, qui moriuntur sive aquis submersi

* p. 43.

* p. 44.

[1] Cf. *Gen.*, V, 3-31. — [2] Cf. *Iob.*, III, 11. — [3] Cf. *Rom.*, II, 4. — Lege ⲧⲥⲟⲟⲩϩⲉ (W. Spiegelberg); cf. *Ps.* VII, 17. — [5] Cf. *Gen.*, IX, 5. — [6] *Iob.*, XXII, 16; *Eccl.*, VII, 18. — [7] Cf. *Gen.*, IV, 10. — [8] Cf. *Gen.*, IV, 15. — Cf. *Gen.*, IV, 10. — [10] *Gen.*, IX, 5.

sive alia simili ratione — dicemus : « Aetas eorum *definita* haec est », quoniam nulla huiusmodi res sine Dei voluntate fiet.

Oratio Sinuthii.

18. Ad philosophum gentilem.

Hic est sermo, quem sanctus pater noster propheta apa Sinuthius habuit, cum philosophus quidam gentilis, qui alias *iam* ad eum venerat, eum adiret; sciebat autem mentem eius in Deum rectam non esse[1]. E magistratibus vero, qui ei assidebant, et divitibus multi, qui eum noverant, hunc huiusmodi *hominem*, cum ad sermonem audiendum veniret, deriserunt. Loqui coepit, cum in hunc modum diceret : « Propheta dixit[2] : Leo rugiet, et quis non timebit? Dominus Deus locutus est, et quis non prophetabit? Dominus iussit et spiritus eius[3], quis ea, quae facta sunt, non dicet? Vel quis ea, quae salutaria sunt, celabit ? »

Ego cum in monte quodam sederem — inquit, qui haec dicit — animal aërium vidi luctans cum animali terrestri. Magnopere gavisus sum, quod volatile *animali* per terram reptili plus valuit. Spatio autem temporis interiecto animal terrestre in volatile se convertit et apprehensum superavit.

Sapientes scient hanc rem esse rem omnium haereticorum dubitantium. Neque enim mirum est, si *homo* *gentilis vel haereticus in ecclesia est fide carens, quoniam quidem ipsae volucres saepe in eccelsia sunt, en pavo ibi et coturnix[4]. Porro si *homines* haereticus et gentilis ficte, velut si precentur, manus extendunt vel tollunt, ecce volucres quoque hoc saepe faciunt alas expandentes. An cum satana luctabimini, o infideles, cum careatis illo fidei scuto[5], quo sagittas eius repellere (?) poteritis?

Vae vobis, si aedem *sacram* non frequentatis aut de corpore et sanguine Domini non sumitis! Vae autem vobis etiam, si *eam* frequentatis vel de sancto mysterio sumitis animo dubitante!

Vos enim et vestrum ab initio usque ad hunc diem semen estis, de quibus Spiritus sanctus dicit[6] : « Spes vacua sunt omnes labores vestri et inutilitas », sicut dixit[7] : « Vanum est vobis mane surgere ». Surgere ad quid faciendum? Surgere, ut adoretis vel libetis iis, qui dii non sunt.

[1] Cf. *Ps.* LXXVII, 37; *Act.*, VIII, 21. — [2] Am., III, 8. — [3] Cf. Is., XLVIII, 16. — [4] Vel : meleagris. — [5] Cf. *Eph.*, VI, 16. — [6] *Sap.*, III, 11. — [7] *Ps.* CXXVI, 2.

Quis est eorum, qui Deum rogant, ut vos ex errore daemonum eripiat, quin de vobis animo angatur? Cui mane surgitis? Cui famulamini? Quid lucrabimini? Animos induratis ad fidem Deo denegandam, qui quidem nihil e rebus a se procreatis perire vult[1] et qui secundum imaginem et secundum similitudinem suam nos finxit[2].

Multae quidem volant de his bestiolis vilibus; earum omnium lectissima est apis. Muscae quidem omnes contemptae et odiosae sunt, nisi forte rursus * quidam vestri generis eas nobiles putant. Etenim muscas vobis constituitis spem regem illum imitati infidelem, qui fiduciam posuit in musca, deo accaronita, fore *ratus,* ut per eum ex morbo suo sanus fieret, sicut *sacrae* litterae stultitiam eius testantur[3]. Apis autem illa sola lecta et honorata est, ut sapientia divina dicit[4] : « In honore autem apud omnes est et in amore ».

* p. 46

Omnes *illi* quidem homines, qui sub caelo sunt *et* in mundum nati sunt[5], homines appellantur. Haeretici autem, qui ab ecclesia catholica separati sunt, omnes contempti sunt. Christiani vero soli in honore et in amore sunt Deo.

Merito porro apis diligitur; labores enim eius regibus hominibusque delectationi dantur[6]. Merito autem christianus *homo* diligitur; delectat enim Deum eiusque Christum omnibus suis iustitiae operibus; solacium autem etiam visceribus praebet cunctorum sanctorum caelestium.

Merito apis ab hominibus curatur et custoditur ceteris animalibus, quae eam impugnant, enecandis. Merito christianus *homo* ab angelis curatur et custoditur conculcando inimico, qui cum eo luctatur, et concidendo.

Merito apis ab hominibus diligitur; colligit enim rorem dulcem Domino auctore de caelo delapsum. Merito *homo* christianus ab angelis diligitur; colligit enim in animae suae horrea rorem illum dulcem e caelo caelorum delapsum omni*que* melle suaviorem. Dico verbum * Dei et fidem *et* pacem *et* caritatem atque spem omnium bonorum.

* p. 47

Iure muscae, quae in omni re sordida considunt, odio sunt. Iure amicis Christi odio estis, vos haeretici, sicut *sacrae* litterae indicant[7], propterea quod tota vestra spes continetur omni impuritate omnique re mala perpetranda. Vos spiritus Dei, qui per suos loquitur, in

[1] Cf. *Sap.*, xi, 25. — [2] *Gen.*, i, 26. — [3] IV *Reg.*, i, 1-17. — [4] *Prov.*, vi, 8b (LXX). — [5] Cf. Ioh., xvi, 21. — [6] *Prov.*, vi, 8b (LXX). — [7] Cf. *Tit.*, iii, 10.

ludibrium vertit : « Muscae, inquit, volantes, si pereunt, perdunt apparatum olei unguenti »[1]. Periistis, perdidistis illum in vobis apparatum vitae, quem sibi ipsi christiani intra se conservant. Si vos non pudebit ad Deum converti, quis erit, quem pudeat animalibus minimis vos ludificari? 5

Sunt muscae quaedam, quae ab omnibus appellantur « muscae caninae ». Nos quoque omnes omnium locorum homines, qui christiani fieri recusant, nominemus « homines daemonum ». Eorum partes sunt, ut scriptum est[2], « partes vulpium erunt ». Ovis ferarum non est, sed opilionis; at si moritur, illarum est; illarum enim evadit 10 pabulum, cum ab eo illis conceditur.

Hoc autem dico, ne satanam partem in hominibus habere dicatis. Absit! Omnes enim res, non solum homines, verum etiam pecora et feras et aves et aquatilia et vermes serpente tenus procreavit Deus.

* p. 48. * At si moriemini increduli et impii, pars eritis daemoniorum; Domi- 15 nus enim Iesus spiritibus immundis vos tradidit, ut verbum (*i. e. sacrae litterae*) dicit[3] : « Hos tradidi satanae ».

Sunt enim muscae; modo *illae* quidem in melle, si id invenerunt, considunt; modo autem rursus in pane considunt; alias autem rursus in cadaveribus considunt; inveniuntur autem etiam in domi- 20 bus hominum, sed invisae sunt. Hoc dictum in ethnicos et omnes, qui dubitant, haereticos quadrat. Modo quidem verbum Dei audiunt in sede doctrinae *destinata;* modo autem etiam Domini Iesu, panis veri, qui de caelo descendit[4], christianorum vitae[5], nomen honorant; alias autem rursus in aede *sacra,* quae filiorum Dei domus est, in- 25 veniuntur. Alias autem figmenta sive simulacra, quibus tribuunt cultum, fabricantur. Ex hisce vestram cognoscite ignominiam. Vos dico, qui timore hominum impulsi simulate ad templum venitis. Vobis enim verbum (*i. e. sacrae litterae*) dicit[6] : « Maledictus, qui opera Domini facit neglegenter ! » 30

Fortasse haec animalia parva sunt illa, quae in sycaminis sunt, vento ubi sycaminum diruperunt aequalia. Rebantur enim, priusquam in lucem prodierunt, in cellis se versari luce refertis. Eiusmodi etiam ethnici sunt[7] et haeretici omnes, cum in luce versari sibi videantur; nam quae dedecent, faciunt, cum tamen lumen evangelii 35 Christi videant terram complevisse universam. Non autem solum

[1] *Eccl.*, x. 1. — [2] *Ps.* LXII, 11. — [3] I *Tim.*, I, 20. — [4] IOH., VI, 33. — [5] Cf. IOH., XI, 25. — [6] IER., XLVIII, 10. — [7] Lege ⲛ|ⲉ| ⲛϩⲉⲗⲗⲏⲛ.

miseri fiunt vel *potius* miseri sunt, * verum die mortis etiam miseri * p. 49.
erunt, quando instituta *vitae* eorum improba et consuetudines
daemoniacae cessabunt, et vento aequales erunt, cum spiritus Dei
eos deflabit, sicuti *sacrae* litterae multis in locis dicunt : « Ventus i. e.
5 furor Dei eos auferet et turbo i. e. ira, quae de caelo revelabitur[1],
eos disperget[2] ».

Verum si quis *hominem* ethnicum vel haereticum de aliqua re
consulere velit, is *potius* minimum illud animal sciscitetur, cuius
natura ita fert, ut caput sursum deorsum moveat, quod*que* pueruli
10 per iocum sive per ridiculum interrogare solent, cum dicant :
« Venietne aqua? » Huiusmodi etiam illi sunt, qui ad oracula veniunt,
eorumque similes[3]. Quisquis vero insuper loquacitatem eorum,
quod fucata sua scientia falsa proferunt, reprehendere volet, iis
dicat in hunc modum : « Quis ranas, veniatne aqua, percontatur
15 sicuti iocosi hoc dicere solent, quia in alveorum aquarum ripis
coaxant? » Quid hic agendi modus efficit? Ut famuli Verbi divitis
vos reprehendant et dicant : « Num videntes de viis caecos interrogabunt? » vel : « Lumen tenebras de lumine percontabitur? »
vel : « Homines ex bestiis requirunt secreta et abscondita Dei? »
20 Propterea verax haec vox iumentis vos comparavit insipientibus.
Iis similes facti estis, sicuti dicitur[4] : « Homo cum in honore esset,
id non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus *et* similis
factus est illis ». An vobis mirum videtur, quod ii, qui, ut scriptum
est[5], scientiam veram in labris gestant, vos rident? Similiter etiam
25 de vobis dolent, quod daemones vos rident inscios, quoniam
insipientes fuistis.

* Nonne de vestra vanitate sapientia dixit[6] : « De interitu vestro * p. 50.
ridebo, laetabor autem de vobis, si exitium in vos ingruerit »?
Illo enim tempore patrem vestrum offirmatum Pharaonem Deus
30 non solum plaga ulcerum vehementer cruciantium et tenebris et
exstinctione exitiali percussit atque contrivit grandine, sed etiam
ad manifestandam eius ignominiam per ranam et locustam et muscas
caninas et sciniphes afflixit. An non Dominus Deus poterat angelum
de caelo mittere ac Pharaonem eiusque populum interimere, sicut
35 unus angelus centum octoginta quinque milia ex Assyriorum castris
una nocte percussit?[7] Sed hunc huiusmodi regem, qui in tyranni

[1] *Rom.*, I, 18. — [2] Is., XLI, 16; LVII, 13. — [3] Vel : et ii, qui eos adducunt.
— [4] *Ps.* XLVIII, 13, 21. — [5] *Prov.*, XVI, 23 (LXX). — [6] *Prov.*, I, 26. — [7] IV *Reg.*,
XIX, 35.

morem gloriabatur, Deus per minima animalia miserum reddidit[1]. *Eum* regem, qui : «Nemo est, inquit, qui resistere mihi possit», Dominus Deus imbecillitatem suam docuit per muscas caninas et ranas et sciniphes[2]. Quae porro sunt aliae res, quales hi pulveres? Eas ferre non potuit ac ne sapuit quidem, ut Deum cognosceret ex 5 omnibus iis rebus, quibus eum domuit, velut flumina in sanguinem convertit.

Nunc ergo Verbum Dei verbis *sacrarum* litterarum vos obiurgat[3] : «Deus meus, pone eos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis, qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, 10 ita persequeris illos in tempestate tua et in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia. Erubescant et conturbentur in sae-

* p. 51. culum saeculi. Confundantur et pereant et cognoscant, quia * nomen tuum Dominus». Sed vestram quoque stultitiam minimis eludat animalibus, praesertim si ab operibus daemoniorum non 15 recesseritis. Quo pacto fugietis illud, quod dictum est[4] : «Descendant in infernum viventes»?

Visne cognitionem luminis oculorum explorare ethnicorum et haereticorum? Considera lumen oculorum vespertilionis et noctuae! Etenim reliqua ipsis etiam meliora sunt; neque enim in 20 rebus suae naturae errant sicut vos, quia adeo cultores Dei facti non estis, ut athei evaderetis. Huiusmodi homines iactantiae pleni secum cogitant : «Nos praeter multos sapientes sumus[5]» neque tamen infamiam ignominiamque suam occultare nunc poterunt, cum Verbum verax eos ita ostenderit inutiles[6]. 25

Visne omnium animos cognoscere incredulorum? Qui totam animarum eorum turpitudinem patefacit, spiritus immundi eos aiebat esse plenos. Considera hyaenarum ceterarumque omnium ferarum cava, quam sint omnis generis ossibus referta! — Visne etiam omnium Deum diligentium animos ut cognoscas videre? Qui 30 totam eorum animarum patefacit pulchritudinem, Spiritus sancti eos aiebat in omni qualicumque re bona plenos[7]. Considera foramina petrarum columbis referta[8] et omnia loca, in quibus degunt. Foramina petrae unum idemque sunt atque ipsa (*i. e. petra*) neque ab ea separata. Animi vere fidelium unum idemque sunt atque 35

[1] Cf. Ex., VIII, 6 et sq.; *Ps.* CIV, 30 et sq.; *Sap.*, XI, 19 et sq. — [2] Cf. *Ps.* CIV, 30 et sq.; *Sap.*, XI, 16 et sq. — [3] *Ps.* LXXXII, 14-19. — [4] *Ps.* LIV, 16. — [5] Cf. Ier., VIII, 8. — [6] Cf. Matth., XXV, 30. — [7] Cf. *Act.*, VI, 3, 5. — [8] Cf. *Cant.*, II, 14.

Dominus Iesus, petra mel effundens — petra enim erat Christus [1] — neque ab eo separati. Dicitur enim [2] : «Cibavit eos de petra melle * et oleo de petra collis». Iam vero quid est mel nisi litterarum *sacrarum* sermo atque doctrina? Quis autem est petra nisi Christus Deus? Quid est oleum de petra collis nisi gratia, qua christiani servati sunt?

* p. 52.

Aqua et vinum, si commiscentur, fiunt unum quiddam. Homo autem Dei etiam cum Spiritu sancto, si eius particeps fit, unum quiddam efficitur [3].

Quaenam est illa, de qua is, qui per Salomonem loquitur, dicit [4] : «Amica mea, columba mea formosa», nisi ecclesia, quae filios suos generat christianos sui similes? Ipsa quoque est, de qua dicitur : «Amica mea, columba mea perfecta [5]» «una est matris suae, electa genetrici suae [6]». Deinde etiam : «Surge *et* veni, vicina mea, columba mea bona, et veni, tu columba mea es, in foramine petrae ad murum exteriorem [7]».

Hoc autem verbum is dicit, qui est in ortu sive adventu luminis eius, qui in mundum venit [8], Christus; «ad murum autem exteriorem est», quoniam Moyses quoque de ipso scripsit in lege [9].

Frater sive amicus eius decorem et gloriam et pulchritudinem et virtutem testatur : «Pulchra es, amica mea, instar gratiae, decora sicut Ierusalem, terribilis sicut virtutes dispositae [10]». Et insuper : «Ecce pulchra es, amica mea, ecce pulchra es! Oculi tui oculi columbarum sunt [11]», qui sunt prophetae et apostoli Spiritu sancto pleni. Ipsi quoque sunt, de quibus dicit * : «Duo ubera tua sunt sicut duo hinnulei, gemelli capreae [12]». Ii etiam sunt, de quibus ipsa dicit : «Fasciculus myrrhae est frater meus mihi, qui inter ubera mea commoratur [13]». Ipse quoque illam alloquitur : «Diligemus, inquit, ubera tua plus quam vinum [14]», quod est *testamentum* vetus et novum verbo Dei refertum. Ipsa quoque illum alloquitur : «Ecce, inquit, pulcher es, mi frater, et decorus ad aspiciendum; umbraculum es super lectum nostrum [15]». Ipse autem quoque ei dicit : «Quae est ista, quae ascendit e deserto sicut virgula aromatis oblati, quod emittit fumum odoris? [16]» Quae est ecclesia gentium,

* p. 53.

[1] I *Cor.*, x, 4. — [2] *Deut.*, xxxii, 13 : *Ps.* lxxx, 17. — [3] Cf. I *Cor.*, vi, 17. — [4] *Cant.*, ii, 10. — [5] Ibid., v, 2. — [6] Ibid., vi, 8. — [7] Ibid., ii, 13 et sq. — [8] Cf. Ioh., i, 9. — [9] Cf. Ioh., i, 45. — [10] *Cant.*, vi, 3. — [11] Ibid., i, 14. — [12] Ibid., iv, 5; vii, 3. — [13] Ibid., i, 12. — [14] Ibid., i, 3. — [15] Ibid., i, 15. — [16] Ibid., iii, 6.

quae ex simulacrorum cultu ascendit, postquam «Christi bonus odor [1]» evasit. Ipsa autem quoque ei dicit : «Meliora sunt ubera tua vino et odor unguenti tui omnibus aromatis gravius fragrat [2]». Et insuper : «Nomen tuum unguentum effusum est [3]». Ipse quoque dicit : «Quae est ista, quae foras spectat sicut aurora? [4]» Quae est eius spes sive exspectatio, *qua* ad omnium hominum servatoris adventum *attendit*. «Pulchra ut sol, electa ut luna, stupenda sicut *acies* ordinata [5]». Ipsa quoque, cum interrogatur : «Qualis est frater tuus ex similibus(?) fratribus, pulcherrima mulierum? [6]» dicit : «Forma fratris mei est haec : Candidus est et rubicundus totus*que* nitens inter decem milia; caput eius sicut aurum Cephas, cincinni eius promissi, atri instar corvorum [7]». Huc autem illud dictum *spectat* : «Aethiopes praevenient dare manibus suis Deo [8]»; «adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium [9]»; «oculi eius similes sunt columbarum, quae super aquas sunt turgidas, quae lacte *lotae super aquas resident tumidas [10]». Ait autem ipse quoque [11] : «Quae est ista, quae ascendit tota candida *et* fratre suo glorians ?» Ecclesia a sapientia separata non est nec sapientia ab ecclesia separata est, sed unum idemque sunt. Loquens autem cum eo, quem alloquitur, quoniam eum, quis sit, novit : «Ego, inquit, fratri meo sum, et frater meus mihi est [12]». Et insuper : «Frater meus descendit in hortum suum ad areolas aromatis, ut pascatur in hortis et lilia colligat [13]». Et rursus : «Descendat frater meus in hortum suum et comedat fructum arborum suarum [14]». Ipse quoque : «Soror mea, inquit, soror mea, sponsa mea est tamquam hortus conclusus» — conclusus fide et praecepto et doctrina vitae — «hortus clausus, fons signatus [15]» puritate et omnium rerum bonarum spe. In quo autem obsignatus est? In Spiritu sancto, sicut apostolus dixit : «Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis [16]». Rursus etiam ipsam allocutus est : «Veni in hortum meum, soror mea, sponsa mea; messui myrrham meam cum aromate meo, comedi panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite vos quoque, fratres mei, et inebriamini, sodales mei [17]!» Illa quoque ipsum rursus

* p. 54.

[1] II *Cor.*, II, 15. — [2] *Cant.*, I, 1 et sq. — [3] Ibid., I, 3. — [4] Ibid., VI, 9. — [5] Ibid., VI, 9. — [6] Ibid., V, 9. — [7] Ibid., V, 10 et sq. — [8] *Ps.* LXVII, 32. — [9] *Ps.* XXI, 28. — [10] *Cant.*, V, 12. — [11] Ibid., VIII, 5. — [12] Ibid., VI, 2. — [13] Ibid., VI, 1. — [14] Ibid., V, 1. — [15] Ibid., IV, 12. — [16] *Eph.*, IV, 30. — [17] *Cant.*, V, 1.

allocuta est : « Veni in hortum meum nucum, ut oculos pascerem frugibus torrentis *et viderem*, num germinasset vinea et num progerminasset arbor fici. Dabo tibi illic ubera mea. Anima mea nescivit : posuit me in curribus Aminadab [1] ». Postea rursus eam vocat :
5 « Surge, inquit, *et* veni, amica mea, columba * mea speciosa [2] » ; « ecce enim hiems transiit [3] » i. e. ecce gelu incredulitatis Iudaeorum egestum est et deorsum decidit. Germina fidei et spei et caritatis in Deum. « apparuerunt in terra nostra. Tempus vindemiae advenit [4] » i. e. tempus omnis rei bonae omnes homines docendae advenit *et*
10 totam terram implevit. « Vox turturis audita est in terra nostra [5] », praedicatio evangelii Iesu Christi, Verbi, quod caro factum est et nobiscum habitavit [6], donec mortuos nos ad vitam revocaret. Vocat autem et ipsa eum : « Veni ad me, mi frater, egrediamur in agrum, commoremur in vicis, mane eamus ad vineas, ut videamus, num
15 arbor [7] [...

(*lacuna*)

...] fides et etiam eorum scientia. Neque enim iniuria Dominus Iudaeos odio habuit; sed ipsi eum patremque eius quoque prius oderant, sicuti dixit [8]. Illi autem sunt, de quibus dicit per prophe-
20 tam : « Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva [9] ». Ita « dedit contra me vocem [9] » suam, cum voce magna exclamaret : « Tolle eum, tolle eum, crucifige eum [10]! » « Ideo odio eam habui [11] ». Ecclesia gentium illa est, quae : « Desideravi, inquit, umbram eius *et* sedi sub ea [12] », quae est pax eius; quia qui ex gentibus venie-
25 bant, hostes erant, cum Deo reconciliati sunt [13], quod autem etiam mandatum *sacrarum* litterarum [14] est : dedit ei tranquillitatem. « Fructus eius dulcis gutturi meo [15] » i. e. verbum et doctrina et lex. Illa quoque dicit : * « Amor eius memet corripuit [16] ». Et de quo dicit : « Osculetur me osculis oris sui, quia meliora sunt ubera tua
30 vino [17] », is quoque est, de quo dixit : « Si inveniam te foris, non verebor te osculari [18] ». Neque vero hoc « foris » separatum est ab hoc : « Te sibi retro traxerunt [19] ». Concinit autem etiam cum hoc : « Sapientia concupiscit a nobis comparari [20] ». Nos autem dormimus.

* p. 55.

* p. 56.

[1] *Cant.*, VI, 11 ; cf. VII, 12. — [2] Ibid., II, 13. — [3] Ibid., II, 11. — [4] Ibid., II, 12. — [5] Ibid., II, 12. — [6] Cf. IOH., I, 14. — [7] *Cant.*, VII, 11 et sq. — [8] IOH., XV, 24. — [9] IER., XII, 8. — [10] IOH., XIX, 15. — [11] IER., XII, 8. — [12] *Cant.*, II, 3. — [13] Cf. *Ephes.*, II, 16. — [14] MATTH., XXVIII, 19. — [15] *Cant.*, II, 3. — [16] Cf. ibid., II, 5; V, 8. — [17] Ibid., I, 1. — [18] Ibid., VIII, 1. — [19] Cf. ibid., I, 3(?). — [20] Cf. *Eccli.*, LI, 33.

Quantum est discrimen inter malitiam concilii Iudaeorum, qui Dominum ut interficerent quaesierunt, et obsequia rursus illius, quae dixit : « Surgam igitur et circuibo civitatem et fora et plateas et quaeram, quem dilexit anima mea [1] ». Videmus amorem eius haud nequiquam ad se eam traxisse [2]; sed illa quoque eum amat. Rogat enim : « Proinde, inquit, indica mihi *tu*, quem dilexit anima mea, ubi pascas [3] », sicut dixit : « Quaesivi, quem dilexit anima mea [4] ». Fortasse enim, ut amorem eius exploraret, ad exiguum tempus se ab ea occultaverat, quemadmodum ipsa : « Quaesivi illum, inquit, *et* non inveni » vel « vocavi eum *et* non audivit me [5] ». « Invenerunt me vigiles, qui circumeunt civitatem. » Interrogavi eos : « Num quem dilexit anima mea vidistis ? Paululum igitur cum eos praeterissem, digressa inveni, quem dilexit anima mea. Tenui eum *et* introduxi in domum matris meae et in cubiculum eius, quae me concepit [6] ». Quanta est impuritas eius, quam quidem quaerit se fugientem, miseram illam! Dico istam Iudaeorum incredulorum synagogam, quae Dominum lancea confodit [7], *ut omittam* alia omnia mala, quae ei * intulerunt. Quanta vero etiam gloria est eius, quam propter eum percusserunt et vulneraverunt *atque* etiam pallio exuerunt; nec tamen ab ea recessit. Abstulerunt *illi* quidem eius pallium; sed ipsius in eum amorem non potuerunt auferre. Vulneraverunt eam, verum mentem eius bonam super*que* fide eius immobili stabilitam non potuerunt sauciare. Qui eam percusserunt sive vulneraverunt, hi iidem sunt atque illi, de quibus dixit : « Filii matris meae pugnaverunt contra me [8] ». Qui autem ei dixerunt : « Qualis est frater tuus e similibus(?) fratribus, pulcherrima mulierum, quia sic adiurasti nos? [9] » eorum pars est cum ipsa in fratris eius vita. Qui vero eam invenerunt *et* vulneraverunt, partem suam collocaverunt [10] cum iis, qui Dominum cruci suffixerunt. Illa autem fratrem suum habet [11] nec quicquam ab ea tulerunt. Cum synagoga quoque Iudaeorum Domino Iesu careat, nihil habent. Quod enim malum ei intulerunt maius, si pallium eius abstulerunt? Etenim ipsi Domino gloriae Iesu vestimenta exuerunt et ipso spectante diviserunt, qui res sorti commiserant [12]. Ita loquendi de ea omnibusque ipsius quoque secretis modus constitutus non est. Una enim est summeque multiplex :

* p. 57.

[1] *Cant.*, III, 2. — [2] Cf. Ibid., I, 3. — [3] Ibid., I, 6. — [4] Ibid., III, 2; V, 6. — [5] Ibid., V, 6. — [6] Ibid., V, 7; III, 3 et sq. — [7] Cf. Ioh., XIX, 34, 37. — [8] *Cant.*, I, 5. — [9] Ibid., V, 9. — [10] *Ps.* XLIX, 18. — [11] Cf. *Cant.*, II, 16; VII, 10. — [12] Cf. Ioh., XIX, 23 et sq.

virgo [1] est et sponsa [2], hortus et fons [3], terra fructum suum ferens [4] et terrae cultrix; vulgus et prophetis, apostola et sancta, magistra et tamen eadem discipula, soror [5] et frater, puella et anus, * filia et mater, domus est et tamen eadem civitas, grex ovium ingrediens per portam et egrediens per portam [6], opilio, cuius vocem grex ovium audit, rursus eadem grex ovium audiens vocem opilionis, via [7] est, in qua homines incedunt, et tamen eadem homo in via incedens, quae quidem via ducit in vitam [8], serva, quae dominum habet secundum id, quod scriptum est : « Servite Domino in timore [9] », et rursus « Benedicite Dominum, omnes servi Domini [10] », « laudate pueri, Dominum [11], laudate nomen sanctum eius [12] », regina, quae multos servos habet, parva eademque adulta, quae ubera habet diversa ab uberibus omnium mulierum terrestrium, amica [13], columba perfecta [14], granum [15] sementis ex se [effundens] granum fructus vitalis, lumen [16] ambulans in lumine,... super qu... fulget gloria Domini, magna multitudo et una est. Ut autem eam esse unam sciamus, apostolus : « *Ad id*, inquit, incubui, ut vos uni viro virginem castam exhiberem Christo [17] ». Cum vero « vos » dicit, summe eam multiplicem esse patet. Frater eius loquitur sibi ipsi per Salomonem : « Hortus, inquit, conclusus est soror mea, sponsa mea, hortus conclusus, fons signatus [18] », qui doctrinam effundat omnesque res iustas. Ager est et, qui in agro operantur, apostoli sunt et prophetae et Dominus Iesus. Dicit enim in evangelio secundum Iohannem [19] : « Levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem ». Utrum de vera regione loquitur annon? * Loquitur de populo; dicit enim [20] : « Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ». Mittitne enim Dominus apostolos suos ad deserta metenda annon? Ad omnes mittit eos regiones docendas [21]. Arvum enim Dei ea est, quemadmodum dixit [22] apostolus, quod fructum fert in vitam aeternam. Vinea autem eadem est, sicut dicere solet : « Vinea fuit Salomoni in loco nomine Belamon [23] ». Et multi *sacrarum* litterarum loci vineam eam esse nos docent.

* p. 58.

* p. 59

[1] Cf. II *Cor.*, XI, 2. — [2] Cf. *Cant.*, IV, 8 et sq; *Apoc.*, XXI, 2. — [3] Cf. *Cant.*, IV, 12. — [4] Cf. MATTH., XIII, 8. — [5] Cf. *Cant.*, IV, 12. — [6] Cf. IOH., X, 3, 9. — [7] Cf. IOH., XIV, 6. — [8] Cf. MATTH., VII, 14. — [9] *Ps.* II, 11. — [10] *Ps.* CXXXIII, 1. — [11] *Ps.* CXII, 1. — [12] I *Paral.*, XVI, 10. — [13] Cf. *Cant.*, IV, 1. — [14] Cf. ibid., II, 10, 14; V, 2. — [15] Cf. IOH., XII, 24. — [16] Cf. IS., LX, 1 et sq. — [17] II *Cor.*, XI, 2. — [18] *Cant.*, IV, 12. — [19] IOH., IV, 35. — [20] MATTH., IX, 38; LUC., X, 2. — [21] MARC., XVI, 15. — [22] I *Cor.*, III, 9. — [23] *Cant.*, VIII, 11.

Dominus noster Iesus nos docet eam esse hortulanam, velut vineam abstulit ab iis agricolis, qui fructus suos ei non reddiderant, *et* aliis tradidit, qui quidem fructus ei reddent temporibus suis [1]. Populus est, quia discipula est magistri Christi. Rursus eadem magistra est, quia multas animas docet ignaras et vaticinatur et instituit eos, qui procul et prope sunt [2]. Pastor est, cum Deo auxiliante homines verbo suo pascat, cui quidem succlamatur : «Pasce populum tuum in virga tua, partem ovium hereditatis tuae, habitantes solos in saltu [3]». Rursus eadem grex ovium est secundum verbum Domini : «Meae oves vocem meam audiunt et me sequentur [4]». Et rursus : «Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas etiam oportet me congregare [5]». Doctor et pastor est secundum *sacras* litteras [6] «alios pastores, alios doctores ad sanctos instruendos». Discipula est secundum id, quod Dominus dixit [7] : «Non est discipulus super magistrum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius». Domina sive regina est secundum id, quod scriptum est [8] : «Astitit regina a * dextris tuis amicta vestimentis aureis et versicoloribus». Civitas est secundum id, quod scriptum est [9] : «Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei». Ostium est, per quod multi in vitam intrabunt. Ipse enim Dominus dicit [10] : «Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet». Murus est muro circumdatus, cum propugnacula extra murum sint argentea secundum id, quod scriptum est [11] : «Si murus est, aedificabimus super eum propugnacula argentea». Dicit autem etiam [12] : «Qui amat legem, muro se cingit». Soror est, quae fratrem habet. Ille ipse ei fraternitatem etiam promittit secundum id, quod scriptum est [13] : «Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, hic frater meus et soror mea est». Amica est, quae amicum habet, secundum id, quod Dominus dixit [14] : «Vos amici mei estis; si feceritis, quae praecipio vobis, iam non dicam vos servos meos, sed dicam vos amicos meos». Adulta est, quia patriarcha est, cum parens sit omnium, qui Deum quaerunt, quemadmodum scriptum est [15] : «Patrem multarum gentium constitui te», quae in Deo spem collocabunt. Puella quoque est, quemadmodum

* p. 60.

[1] Matth., xxi, 41. — [2] Cf. Is., lvii, 19; Dan., ix, 7. — [3] Mich., vii, 14. — [4] Ioh., x, 27. — [5] Ioh., x, 16. — [6] *Eph.*, iv, 11 et sq. — [7] Matth., x, 24; Luc., vi, 40. — [8] *Ps.* xliv, 11. — [9] *Ps.* lxxxvi, 3. — [10] Ioh., x, 9. — [11] *Cant.*, viii, 9. — [12] Cf. *Prov.*, xviii, 11. — [13] Matth., xii, 50; Marc., iii, 35. — [14] Ioh., xv, 14 et sq. — [15] *Gen.*, xvii, 5; *Rom.*, iv, 17.

scriptum est [1] : « Venite, filii, audite me, ut timorem Domini doceam vos ». Dicit etiam apostolus [2] : « Filii mei, quos quidem iterum parturio, donec formetur Christus in vobis ». Alloquitur autem etiam Dominus sanctos suos [3] : « Pueri, num quos pisces habetis? » Perita
5 est et imperita, quia perita est ad bonum, imperita autem ad malum. * Via[4] est *et* in via ambulans, quia ecclesia est universalis, quae in vera Domini via ambulat et per quam multi in vitam intrabunt [5]. Lumen est ambulans in *eo* lumine [6], quod in mundum venit [7], Dominus Iesus, in cuius tamen lumine multi ambulant, quemad-
10 modum scriptum est [8] : « Vos estis lux mundi ». Invitatrix est hominum, ut ambulent pro dignitate Domini [9]. Eadem porro ad hoc invitata est, ut « ambularet digne vocatione, qua vocata est, cum omni humilitate et mansuetudine et patientia [10] ». Hostia est secundum id, quod apostolus omnes simul admonuit, ut « exhiberent
15 corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem [11] ». « Regnum autem etiam est et sacerdotium, gens sancta, populus vitae *destinatus* » secundum id, quod scriptum est [12]. Aeterna est manens cum Patre et Filio et Spiritu sancto, et frater eius omni tempore ei manet et ipsa ei manet [13] in aeternum. Porro autem e quibusdam
20 secundum *sacras* litteras parabolis frater virginis sive sponsae sive sororis illius Christus est; frater [14] est, sponsus [15], virgo, amicus [16], puer [17] et dominus [18], ovis [19] et pastor [20], hostia [21] et summus sacerdos [22], vitis [23], mons, dies et sol, gladius et agnus [24], ultimus et primus [25], verbum [26] et primogenitus [27] et Deus est, qui de *mundi*
25 universitate iudicabit et de singulis iudicabit secundum eorum opera [28].

* p. 61.

Reliqua autem etiam testimonia horum verborum en ecce * omnia in litteris *sacris* scripta sunt, et lector, qui perpendet, omnia intelleget.

* p. 62.

[1] *Ps.* XXXIII, 12. — [2] *Gal.*, IV, 19. — [3] IOH., XXI, 5. — [4] Cf. IOH., XIV, 6. — [5] Cf. MATTH., VII, 14. — [6] Cf. IOH., XII, 35. — [7] IOH., III, 19; XII, 46. — [8] MATTH., V, 14. — [9] I *Thes.*, II, 12; *Col.*, I, 10. — [10] *Eph.*, IV, 1. — [11] *Rom.*, XII, 1. — [12] I PETR., II, 9. — [13] Cf. *Cant.*, II, 16. — [14] Cf. MATTH., XXV, 40; XXVIII, 10; *Rom.*, VIII, 29; HEBR., II, 11. — [15] Cf. MATTH., IX, 15; MARC., II, 19; LUC., V, 34 et sq.; IOH., III, 29; II *Cor.*, XI, 2. — [16] Cf. IOH., VX, 15. — [17] Cf. MATTH., XII, 18. — [18] Cf. *Ps.* CIX, 1; MATTH., XXII, 43. — [19] IS., LIII, 7; *Act.*, VIII, 32. — [20] Cf. IOH., X, 11 et sq. — [21] Cf. *Eph.*, V, 2; *Hebr.*, X, 5 et sq. — [22] *Hebr.*, V, 5 et sq. — [23] Cf. IOH., XV, 1 et sq. — [24] Cf. IOH., I, 29, 36. — [25] Cf. *Apoc.*, I, 17. — [26] Cf. IOH., I, 14; *Apoc.*, XIX, 13-26. — [27] Cf. *Rom.*, VIII, 29; *Col.*, I, 15. 18; *Hebr.*, I, 6; *Apoc.*, I, 5. — [28] Cf. MATTH., XVI, 27.

Epistulae quinque.
Miror.
Spiritus Dei.
Numquam cessabit sacerdos.
Si verbum dicit ea, quae ad hoc vaticinium pertinent. 5
Ego cum in monte quodam sederem.
Deus. Perfectus est quintus sermo patris nostri. Benedictiones eius sanctae sint nobiscum simul omnibus! Amen.

Hoc est volumen et magnum caput, quod scripsit frater noster Dei amans et pater noster papa Colthe et archimandrita monasterii 10 patris nostri prophetae Sinuthii coenobii lycopolitani (Siout), ut *ipse* legat illud et filii eius omnesque simul, ad utilitatem et solacium legentium et audientium et salutem animae suae, ut Dominus sui misereatur die visitationis [1] suae. Amen, fiat!

Mementote mei quoque cum caritate et pro memet precamini, 15 hoc misero peccatore.

19. Adversus Graecos : de usura.

...] aut privasti eum denegando ei, quae accipere debebat, causam in eum, licet liber sit, quaerens : « Rem meam, inquis, perdidisti vel iumentum meum laesisti vel etiam aliam eiusmodi rem ». Maxime peccata tua auges, quod dicis : « Nisi mihi proximo operaberis * anno, 20 mercedem huius anni tibi non dabo praeteriti ». Hac igitur ratione multos mercede sua fraudasti [2] ignarus eum, qui *hominem* egenum quocumque modo oppresserit, Dei obnoxium esse iudicio [3].

* p. 63.

Venit mihi in mentem, quod ante horam ex me quaesivisti. Dictum enim est : « Quantum infernus excipiet? » Ita tibi respondebo 25 utpote homini carnali : « Aspice struem lignorum; collige autem super ea paleas permultas simulque calamos et alias herbas crebras. Neque ullam, quae comburi soleat, materiam reliqueris, ita ut dicas : « Locus, in quo ponentur, ea non capiet » ; flamma autem ea combure et cineres collige et pone in eo loco, quem illa capere non posse 30 existimavimus : cognosces, num repleatur. Ita ne infernus quidem iis omnibus, quae [4] in eo comburentur, complebitur secundum verbum Domini [5] : « Paleas, inquit, comburent igni inexstinguibili »

[1] Cf. I Petr., ii, 12; v, 6. — [2] Cf. Iac., v, 4. — [3] *Prov.*, xxii, 22 et sq. — [4] Vel : qui. — [5] Cf. Matth., iii, 12; Luc., iii, 17.

et iterum[1] : «Zizania alligate in fasciculos ad comburendum». Attende autem etiam ad verbum spiritale, ut disserat tibi magnitudinem Dei. Si oculus hominis cum malignus evasit, licet parvus sit, probris omnis generis committendis non satiatur[2], quo pacto ipse
5 infernus, qui admodum latus et profundus est, sicut *sacrae* litterae[3] testantur, satiabitur vel complebitur[4]? Noverint igitur nunc sapientes, quae ex ore stulti *hominis* divitis processerit ignominia. Ridens enim sive cavillans creditori suo : «Serpens, inquit, in sarcina * sive in pera contractus est», i. e. chirographum iniustum, * p. 64.
10 cum dicit : «Etiamsi te non concidam, filii vel nepotes mei de tuis aut filiorum aut nepotum tuorum oculis se subducent». Neque vero qui hoc dicit, secum reputavit ignem et vermem[5] in inferno esse ad ipsum ulciscendum. Nonne ille verbis suis odio dignis dicit : «Etiamsi auctor ero, ut iudex vel minister publicus vel etiam alius
15 magistratus haec concidat, quibus nulli profuistis, nonne tibi prodero?» Tribunal Iesu testem sui ipsius citat verbis inhumanis, ut Dominus Iesus, qui nihil boni in eo invenerit, poena mortis aeternae eum condemnet.

Quaere verbum scriptum : «Da fenori *pecuniam*». Id invenies
20 scriptum super consilia mentis divitis *hominis* insatiabilis, quia illud amat. Percontare vero eum etiam de hoc dicto : «Non flectes ius propter munus[6]». Quod si in animo eius non invenis natum[7], quia odit illud, cur tandem legi fenore accipiendo oboedivisti, non autem oboedivisti omnibus eius aliis *et* verbis et rebus veris et
25 iustis? Quid est, quod die iudicii dicturus sis, cum a Moyse accusabere? sicut Dominus in evangelio[8] dixit, quia tu quidem praeceptum eius observasti, ut fenori *pecunia* daretur, contra autem transcendisti alia eius mandata omnia : Non moechaberis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium facies[9] et alia quae
30 edixit omnia, quae in hoc continentur : «Sicut tibi fieri non vis, *ita* ne tu quidem feceris *alteri in ulla re mala[10]» et : «Omnia, * p. 65. quae vis, ut homines tibi faciant, et tu fac alteri[11]». Quam ob causam observabis id, quod Moyses[12] dixit : «Fenori dabis», non autem

[1] Matth., xiii, 30. — [2] Cf. *Eccl.*, iv, 8; *Lam.*, iii, 30. — [3] *Gen.*, vii, 11; Am., vii, 4; *Iob.*, xvii, 16; *Eccli.*, i, 2; xxiii, 28; xxiv, 8. — [4] Cf. *Prov.*, xxx, 16. — [5] Cf. Marc., ix, 44, 46, 48. — [6] *Ex.*, xxiii, 8; *Deut.*, xvi, 19; xxvii, 25; I *Reg.*, viii, 3; *Prov.*, xvii, 23. — [7] Lege ϵϥⲣⲏⲧ. — [8] Ioh., v, 45. — [9] Cf. Marc., x, 19. — [10] Cf. *Tob.*, iv, 16. — [11] Matth., vii, 12; Luc., vi, 31. — [12] Cf. *Deut.*, xxiii, 19 et sq.

respicies id, quod Ezechiel[1] dixit — iustum enim negavit pecuniam suam ad usuram daturum esse — et id, quod in psalmis[2] dictum est : «Pecuniam suam non dedit ad usuram»? Nonne haec ipsa statuta sunt? Pudore repletus es, quia te fidelem dicis, times autem etiam reprehensionem verborum novi testamenti, cum Dominus dicat[3] : «Si fenori datis iis, a quibus vos speratis recepturos, quae est vestra gratia? Et peccatores peccatoribus fenerantur, ut duplum recipiant». Prophetae, qui dixerunt «Pecuniam suam non dabit ad usuram[4]» obloquuntur Moysi, quoniam dixit : «Fenori dabis»? Bonum est quod dixit verbum; bonum autem id etiam, quod prophetae ipsi quoque dixerunt. Moyses hominem cum inopi dare gravaturum sciret, ita captavit, ut animum eius occasione fenerationis attractum ad *pecuniam* egeno, ne periret, dandam induceret, ut esurienti, etiamsi prae duritie et inhumanitate non daret, forsitan utilitatis causa largiretur. Homo enim, qui indigenti fenerat, non misericordia motus dat, sed habita fenoris, quod exspectat, ratione. Etiamsi fenus non exigit neque in caput convertit, usuras tamen inde accipiat. Sciunt autem etiam prophe- p. 66. tae iucundissimum esse dare egeno nec * ab eo recipere. Profecto tu etiam accepisti : *haec* tibi earum rerum, quas ei dedisti, sufficiat compensatio. Neque enim quia Moyses hoc ipsum oblitus est melius esse homini non fenerari — prudens enim omnibus rebus est et verbis suis universis — verum «fenerabis» dixit, quia pro sua misericordia volebat, ut etiamsi homo non vivat in egestate versans[5], tamen fenus ne sit eius cura. Quocirca etiam ipsi prophetae omnes, qui concupiscunt, ad misericordiam impellunt et honorant eos, qui fenus aut incrementum non acceperunt simul cum eo, qui «pecuniam suam non dedit ad usuram[6]». Hic enim unus sanctorum finis est, cum ad misericordiam tendat. Similiter autem ne novum quidem testamentum his verbis, quae Moÿses dixit, repugnat, sed maius in bonum inducit. Neque enim Dominus venit, ut legem et prophetas solveret, sed ut eos perficeret[7]. Quid vero hoc est «ut eos perficeret»? Cognoscamus! Certe perfectio legis non est non peierare, sicut prophetae praeceperunt[8], sed perfectio legis est non iurare omnino, quemadmodum Dominus dixit : «Audistis, quia dictum est antiquis :

[1] Ezech., xviii, 8, 17. — [2] *Ps.* xiv, 5. — [3] *Lev.*, xxv, 35 et sq; Luc., vi, 34. — [4] *Ps.* xiv, 5. — [5] Lege ⲉϥⲣϭⲣⲱϩ. — [6] *Ps.* xiv, 5. — [7] Matth., v, 17. — [8] Zach., v, 3; viii, 17.

Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua [1]», verum perfectio legis id est mandatum, quod vetat iurare omnino [2] : * «Sit autem sermo vester est, est, non, non [3]». Pariter perfectio legis non est omissio occisionis, sicuti Moyses [4] dixit : «Non occides», verum perfectio legis est «non resistere te malo», quemadmodum Dominus [5] dixit. Similiter quoque perfectio legis non est «diligere te amicum tuum et odio habere inimicum tuum [6]», quemadmodum Moyses [7] dixit; sed perfectio legis est «diligere te inimicos tuos et orare [8]» [...

* p. 67.

20. De Aethiopum invasionibus. I.

Eiusdem.

Si te, Deus omnipotens, affantes dicimus : «Noli nos his, qui sanguinem profundunt, tradere gentibus», instar blasphemantis sumus, nos homines, qui immunditiae nosmet ipsos dedimus, ut omnes impuritates perpetraremus. Pagos implevimus, urbes et vicos et vias vociferationibus nostris timore barbarorum perculsi implevimus exclamantes : «Vae! vae!» quidam «ob filios meos», alii «ob parentes et fratres meos!» Quis vero pater vel quae mater, quis frater, quis homo est, qui ploret et lamentetur, quod filia sua veneri indulserit et filius fraterque suus impietati se dederit? Si qui sunt, qui animo affligantur, quod filii vel fratres sui peccaverint, profecto omni honore digni sunt.

21. De Aethiopum invasionibus. II.

Eiusdem.

Cetera verba huius voluminis sive etiam reliqua, * quae diximus et scripsimus anno secundo, postquam hanc domum aedificaveramus, quo tempore barbari praedati usque in urbem, quae vocatur Cynopolis (Cois), intraverunt, quando magna illa multitudo apud nos hospitata est effugiens illos Aethiopes, qui propter imbecillitatem comitum graecorum vim vehementer ostentaverant, licet fide destituti utique nescirent, quis se fecisset et confirmaturus esset, Iesus.

* p. 68.

[1] Matth., v, 33. — [2] Ibid., v, 34. — [3] Ibid., v, 37. — [4] *Ex.*, xx, 13; *Deut.*, v, 17. — [5] Matth., v, 39. — [6] Ibid., v, 43. — [7] *Lev.*, xix, 18. — [8] Matth., v, 44.

Magis autem peccata nostra, quae abundant, orbem terrarum commovent; ipsa illos etiam in nos excitant. Aut quidnam tandem Deo sunt? Vel quis est, qui res divinas in suum quisque modum sibi curae habeat, ut robur nobis afferat? Quis est, quem Dominus Deus die iudicii interrogaturus sit, ut rationem rei sibi commissae reddat [1]? Ego vel aliquis alius mei similis; reges etiam, ii qui principatus vel potestates [2] acceperunt, disciplinae curatores, qui praesunt omnes; non solum ii, quibus res et animae commissae sunt, sed ipsi etiam populi, puritas corporis et animi nostri, honestas matrimonii [3], assiduitas precationis [4] omnesque res, quas *sacrae* litterae commendant. Ita beati illi, qui libertatem momento discriminis invenient! Vae autem * nobis hominibus, quibus curae non est, quod in manus Dei incidemus [5] vel nos interrogabit [...

* p. 69.

22. De Aethiopum invasionibus. III.

1. Sinuthii.

Rursus pergo Domino Deo laudem tribuere et gratias agere [6] ob omnia bona, quae nobis largitus est. Proponam magnam illam frequentem*que* multitudinem, quae apud nos hospitata est vel in loco portae horum conventuum et toto eorum circuitu cum feminis liberisque consedit, ita ut viginti fere milia hominum vel plures essent; fratres omnes praeter infirmos per tres menses iis subveniebant illis rebus, quae *eius* benedictione nobis obtigerant; ne ulla quidem earum rerum, quas desiderabant, aderat, quoniam eas secum non attulerant. Septem medicos, qui *hominibus* inter illos aegrotis et iis, qui sagittis icti vel telis percussi erant, remedia praebebant. Quibus mercedem dabamus; salarium autem eorum quingenta milia aeris effecit. Nonaginta quattuor homines, qui mortui sunt; nostro eos sepelivimus impendio, at Christi regis sectatores erant. Quinquaginta duo, qui nati sunt, et *usibus* puerperarum necessaria solvimus, modo * viginti quinque milia, modo triginta milia *aeris* singulis hebdomadibus pro oleribus coctis, ut omittam olera, quae nobis praesto erant. Centum quinquaginta sextarii olei fuerunt portio singularum singulis diebus cenarum. Cottidie iis coquebatur, si lens erat, modo cottidie XVII, modo XVI artabae,

* p. 70.

[1] Cf. Matth., XXV, 19. — [2] Cf. *Col.*, II, 15. — [3] Cf. *Hebr.*, XIII, 4. — [4] *Rom.*, XII, 12; *Col.*, IV, 2. — [5] Cf. *Hebr.*, X, 31. — [6] Cf. I *Cor.*, I, 4; *Phil.*, I, 3.

modo plures. Quattuor furnos, in quibus cottidie panis coquebatur, modo XVIII corbes (?), modo XIX, modo XX, modo XVII, modo XVI, quos comedebant. Et tamen fratribus inde comedere non permisimus, ut *illi necessaria* invenirent; sed iis non sufficiebant. Omittam etiam eorum iumenta plurima, camelos et oves et vitulos et boves et equos et haedos, quibus providebamus, et omnia eorum impedimenta. Et miraculum quoddam erat etiam puteus parvus; nam nisi *Deus* ei benedixisset, ad aquam bibendam iis non suppetisset [1].

Sed rem paucis absolvam. Profecto nos, si credimus, intellegimus, qui curamus et observamus omnia vasa, e quibus haurimus et expendimus in totam illam multitudinem, quae propter illos hostes in unum * confluxerat, praeter sumptus continuos sive aes sive aurum sive vestimenta et soleas et stramenta et paenulas et amicula feralia sive triticum et panem et hordeum (?) et omnis generis frumenta sive vinum sive acetum sive ova et caseum et columbas sive farinam sive oleum sive uvas sive poma et omnia usibus hominis aegroti necessaria sive universa, quae erogata sunt : infra sexaginta milia septingenta aeris non erunt. Etenim frumenta et panes sola artabarum octo milia et quingentas et plus efficient. Et portio olei in eos consumpti CC artabarum raphanorum erat i. e. XL ioparum [2], quarum singulae quinque artabarum erant. Nolui tamen omnia afferre.

* p. 71.

Rursus iisdem annis etiam C captivos, quibus nihil deerat; quos redemimus pretio quadraginta milium *aeris* singulos; omitto aes et vestimenta et alia expensa et naulos, dum domum reducti sunt. Et profecto, ut supra dixi, nulla re indigebant, sed abunde iis *Deus* addidit. Quanta esset vituperatio et ira et imprecatio, si ii, qui his in locis versantur, illis rebus, quas corpus requirit, egerent! Animas enim illis diebus neglexerunt.

Num omnes illas res in promptu * habemus? Si habemus, homines mendaces sumus, cum dicimus : « Sustulimus crucem nostram et Dominum secuti sumus [3] ». Unde sive qua re haec nobis contigerunt? Aut quo in agro collegimus vel quo quaestu? Manuum nostrarum opera vivimus [4], nisi forte favore Benedicti, Domini universorumque Dei. Fideles mirati sunt locum eius sanctum [5] loquentes laudemque ei tribuentes [6]; sciunt enim omnia eius esse bona. Infideles

* p. 72.

[1] Cf. III *Reg.*, XVII, 16. — [2] ειοπε modus quidam. — [3] Cf. *Matth.*, X, 38. — [4] Cf. I *Cor.*, IV, 12; II *Thess.*, III, 8. — [5] *Ps.* XXIII, 3; LXVII, 6; — [6] Cf. Luc., II, 20.

et ethnici consternati sunt, cum de nobis dicerent : « Ubi isti homines omnes has res inveniunt? » Nesciunt enim eum, qui quinque panibus hordeaceis et septem panibus benedixit, *ita ut* omnes illi ederent et satiarentur et etiam corbes complerentur [1], ipsum quoque nunc benedicere omnibus rebus, quae cuiusque sunt credentis eum, 5 quidquid voluerit, facere posse. Profecto ea, quae nobis facta sunt, nonne maiora sunt, quam quae viduae sareptanae? Quid erat in his vasis parvis? Unde venit universa illa farina vel illud oleum, quibus ille propheta omni confirmatione animi divinitus *data* dignus simul cum illa vidua eiusque liberis viveret per duo illos annos 10 continuos et sex menses [2]? Dicet rursus aliquis : « Quid? Thesaurus nonne ibi erat? magnum vas? parvum receptaculum? parvula situla? » Eadem erat condicio illius *viduae,* cuius filios creditor abstulerat. * p. 73. Unde omne illud oleum venit in * parvum illud vas, dum omnia illa vasa eo rursus compleret [3]? Similiter homines iussit comedere 15 de decem panibus hordeaceis et reliquum ex iis habuerunt secundum id, quod dixerat [4] : « Comedent et reliquum *aliquid* facient ». Dominus enim dixit nosque dignos [5] reddidit, qui horum participes fieremus tantorum bonorum eaque conficeremus(?) mense vicesimo tertio, postquam hanc domum aedificaveramus. 20

Homo curiosus ita cogitat et ratiocinatur : « Improbitate quidem Aethiopum perturbatio in Aegypto orta est; iustitiâ autem spem in Iesu collocantium laetitia et pax [6] in caelo efficientur. Per caecitatem *mentis* Aethiopum sacrificia Beliario, daemoniorum principi[7], oblata sunt pro ipsorum caedis aviditate; per pietatem 25 autem servorum Christi[8], cuius sunt homines, cuius aes et aurum et res omnis[9], fient sacrificia misericordiae[10] et largitatis ». Laudem tribuunt ei, supplicant, gratias agunt ob universa eius beneficia[11] et corporis et spiritus, ut rebus suis *ille* quidem benedicat, cor autem et animam suam omni iustitiae cogitatione repleat[12]; intellegunt 30 *enim* accipere se ab eo [13], cuius sunt omnes res, etiam ultimus obolus [14].

[1] Matth., xv, 34-36; Marc., viii, 5-9; Ioh., vi, 9-13. — [2] III *Reg.*, xvii, 8-16; Luc., iv, 25 et sq. — [3] IV *Reg.*, iv, 1-7. — [4] IV *Reg.*, iv, 42-44 (viginti panes!). — [5] Cf. *Col.*, i, 12. — [6] Cf. *Gal.*, v, 22. — [7] Cf. IV *Reg.*, i, 2, 16; Matth., xii, 24; Luc., xi, 15. — [8] Cf. I *Cor.*, vii, 22; *Gal.*, i, 10; *Eph.*, vi, 6; *Col.*, iv, 12. — [9] Cf. Matth., xxviii, 18. — [10] Cf. Matth., ix, 13; xii, 7. — [11] Cf. *Eph.*, v, 19 et sq. — [12] Cf. *Rom.*, xv, 13. — [13] Cf. Iac., i, 17. — [14] Cf. Matth., v, 26.

Si de hac nimia atrocitate loqui desistere potero sive * sinar, ita dicam : « Beati [1] *ii* homines, e quorum ossibus et carne [2] Deus hunc morbum cum aestu et ardore [3] suo auferet! Vae [4] autem iis, in quorum ossibus et carne *eum* accendet et inflammabit neque exstinguet ! Verum domus Domini Dei non aedificatur, ut eam, sitne recta et pulchra, inspiciamus, sed ut in ea nosmet ipsos, priusquam abeamus non reversuri [5], ad eum redituri, quales simus, consideremus, ut ad aliud opus faciendum nos convertamus paenitentia dignum [6].

* p. 74.

2. Haec autem quoque ad ea pertinent.

Res aperta est sobrio et vigilanti [7] et videnti, quid satanas cibo suo dederit per omnem toto orbe terrarum impietatem abunde sibi parato. Quare tempus est patrem vel matrem in filios filiasque fieri quasi barbaros [8], maxime secundum hanc vitam parentes, qui liberorum volunt integritatem. Similem quoque frater ad fratrem, soror ad sororem habet rationem. Numquid, ut salus fiat multis? Quandoquidem multi sunt, qui ob falsae fraudem fiduciae et hoc falsum, in quo sunt, gaudium moriuntur suo quisque modo et pro suo * amore fallaci. Alius super alium destructi sunt et *diris* devoti propter gaudium suum et risum et amorem perversum et solacium, quippe cum insipientia stultitiaque in ipsis inesset loco prudentiae et scientia tenebricosa loco scientiae dilucidae et amor perniciosus loco amoris sancti. En verae in Deum inimicitiae [9]! Parentes et fratres hominesque : « Nos, inquiunt, Christi sumus studiosi [10] », cum alii aliorum res nefandas filii perditionis [11] tolerent. Aut quid hominum pax Deo est, quorum impuritates inter ipsos celatae non sunt nec alius alium reprehendit [12]? Aut quo pacto isti id, quod scriptum [13] est, effugient : « Non est gaudium impiis, dicit Dominus Deus »? Ubi iis gaudium non est? Aevone futuro an hoc? Quis est impius, qui hoc *aevo* non gaudeat? Profecto insipiens etiam et improbus, sicut is, qui cum adulterata manebit [14]; pater et mater filios filiasque impuros tolerantes; ignari enim inutilitatis ipsorum

* p. 75.

[1] Matth., v, 3 et sq. — [2] Cf. II *Reg.*, v, 1; xix, 12 et sq.; Iob., ii, 5; Luc., xxiv, 39; *Eph.*, v, 30. — [3] Cf. *Deut.*, xxviii, 22. — [4] Cf. Luc., vi, 24 et sq. — [5] Cf. *Iob.*, x, 21. — [6] Cf. Matth., iii, 8; Luc., iii, 8. — [7] I Petr., v, 8. — [8] Cf. Matth., x, 21. — [9] Cf. Iac., v, 4. — [10] Cf. I *Cor.*, i, 12. — [11] Ioh., xvii, 12. — [12] Cf. Matth., xviii, 15. — [13] Cf. Is., xlviii, 22; lvii, 21. — [14] Cf. *Prov.*, xviii, 22.

* p. 76. erant, pudor in iis non erat. Nisi scirem esse patrem et matrem * *et* fratrem, qui cum homine filias ipsorum sororesque stuprante consentiant planeque concordent, non dicerem; nisi matres probae filias in omni puritate repraesentare neglegent — cupiunt enim et contendunt, ut omni honestate ipsarum similes evadant. Porro femina 5 nisi ante adulterata esset, non obsequeretur nec gauderet cum filiae adultero. Ita enim dictum est : « Quemadmodum mater, sic etiam filia eius[1] » et « Filia e matre sua orta est[2] ». Sic etiam : « Pater tuus Amorrhaeus est[3] » de patre quodam dictum est, non solum, quia filiae adulterum tolerat, verum eum plus diligit et ipsi in edendo et 10 bibendo sodalis est, domum eius frequentat more filii et fratris... tempus, quo quidem reminiscuntur eius, qui ita loquitur : « Immisericors est; filios enim filiasque et fratres omni flagello[4] castigat, ut iudicium effugiant Dei maxime misericordis. Et eo die, quo eum misericordem esse loquuntur, ipse instar immisericordis factus 15 est, quandoquidem carnes et sanguines filiorum filiarumque et
* p. 77. fratrum indocilium baculo non constringit, sed * locum concessit tormentis omni flagello peioribus. An est alia admonitio *hoc* verbo efficacior : « Ecce macula et quodvis peccatum, ecce ignis gehennae et poenae aeternae »? Nunc igitur, quid est impietas ad tenebras[5] 20 et vermem[6], quae quidem ipsam committentibus parata sunt[7]? Aut quae est poena patris et matris et fratris, qui filiis filiabusque et fratribus testantur afflictationes et miseriam irae venturae[8]? Si beati sunt, quos Iesus ab ea eripiet, ut scriptum est[9], vae etiam iis, qui eam non effugient! 25

23. Adversus Saturnum. I.

... ii] qui homines tui exstiterunt, sunt illi omnes, quos evangelium numeravit paleam, quae igni inexstincto comburetur[10]. Vide, si eiusmodi convicium angelo Dei facerem — absit! benedictus ipse potius sit! — flammeo suo igni — potest enim — me concremaret. Te vero, Saturne, te increpito et interdiu, magis autem noctu, et 30 *quidem* cottidiano haec hisque fortiora in te congero. Non habes, quid mihi facias. Non enim, si potestas tibi esset neque Christi praesidium adesset, tardares. Victoria potitus non es, quod corpus

[1] Ezech., xvi, 44. — [2] Ibid., xvi, 45. — [3] Cf. Ezech., xvi, 3, 45. — [4] Cf. *Eccli.*, xxx, 1 et sq. — [5] Cf. Matth., xxv, 30. — [6] Cf. Marc., ix, 46. — [7] Cf. Matth., xxv, 41. — [8] I *Thess.*, i, 10. — [9] Ibid. — [10] Cf. Matth., iii, 12; Luc., iii, 17.

meum dolore pessimo complevisti. Si haec est tua vis, qui sunt, quibus fortior sis, praeter eos, quos omni modo naturae contrario prostravisti, eruditi ac non imperiti? Quicumque enim te artesque tuas magicas nondum cognoverunt, excusationem apud Dominum
5 habent. An *tu* iudex es, magister astutiarum? Modo quidem iis, quos * in peccatum inducis, persuades Deum ab ipsis rationem * p. 78. exacturum non esse; modo *autem* animos eorum, qui a malitiis tuis recedere cupiunt, perturbas, quod Deus iis condonaturus non sit, velut si consilium [1] Supremi cognoveris et misericordias verborum
10 illius dicti : «Derelinquat impius vias suas et vir iniquus cogitationes suas; revertatur ad Dominum, miserebitur eius, quoniam in peccatis vestris ignoscendis maximus est. Non enim cogitationes meae sunt sicut cogitationes vestrae neque viae meae sicut viae vestrae. Sed sicut caelum remotum est a terra, ita via mea remota
15 est a via vestra et cogitationes vestrae a cogitatione mea [2]». Potestas tibi, daemonium, non est nisi perdendi. Impietatis est dicere copiam tibi esse procreandi sive faciendi bonum aliquid, sicut ethnici hoc existimant, dum eos furori irae divinae [3] tradis. Qui pugnare tecum consueverunt, quoniam corpora eorum crucias doloribus, ita dicere
20 solent : «Discede e Christi corporibus et membris, quoniam etiamsi in morbis sunt, ei se submittent et servient et gratias agent, ut patefiat utilitatem tibi non esse sive utilitatem te percepturum non esse ex homine Deum metuente». Iustus *ille* Iob apud Deum dives factus non est propter beneficia sua sola, verum etiam propter
25 morbos [4]. Lazarus [5] non solum, quod daret, non habebat, sed etiam de iis, quae de mensa divitis illius cadebant, saturari cupiebat, neque aliam rem videmus, propter quam in sinum magni patriarchae delatus sit, nisi tolerationem morborum.

* Sinuthii epistula. * p. 79.

30 XV. In diem nonum *mensis* tybi, quo die pater noster diabolum arripuit.

24. Adversus Saturnum. II.

Si vulpes i. e. tu, servus mammonae [6], multis gannitibus latrat, timet*ne* leo, i. e. ego, servus Christi? Scio non mihi te adversari, sed

[1] Cf. Iob., xv, 8; Ier., xxiii, 18; I *Cor.*, ii, 16. — [2] Is., lv, 7-9. — [3] *Ps.* lxviii, 25. — [4] Cf. *Iob.*, xlii, 10 et sq. — [5] Cf. Luc., xvi, 20-31. — [6] Cf. Matth., vi, 24; Luc., xvi, 13.

adversari te Iesu, qui intra christianos habitat [1]. Iesus etiam te videt, te patremque tuum diabolum [2], qui in te insidet, in quo spem ponis. Illi quoque *te vident* (?) eorumque pater, qui intra eos habitat, Iesus, in quo fiduciam collocant. Homo, cum quo Iesus est, numquam pudore afficitur [3], sicut dixisti [4] : « Ibi ignominia, hic gloria ».

Eas repudiavi; quid enim exspectem, scio. Qui gloriam et honorem [5] per Iesum adepti sunt, quid faciunt de gloria et honore hominum [6]? Sicut quidem latrocinium non est iis, qui Iesum vere possident, secundum id, quod in me dixisti, propterea quod deos tuos securus abstuleram et quod turpitudinem et ignominiam tuam chartis inscriptam postibus domus tuae infigendam curaveram, cum urinae tuae, quae instar vini in urceis erant, super limina domus tuae et in os tuum oraque tui similium effusae essent. Libertas [7] non est iis, qui fiduciam collocant in Saturno, qui es tu tuique omnibus infidelitatibus et impuritatibus similes. Quae res vel quod verbum ex iis, quae dixisti, testis non est te ad satanam pertinere? * p. 80. Epistulae, quas dilacerasti, sunt *testes* — quas * priusquam misi, ignoravi te dilaceraturum esse — administer eorum, qui scalpello scribae paginas libri verborum, quae prophetae nomine Dei iis miserant, consecuerunt *et* super carbones ardentes proiecerunt [8]. Sicut etiam dixisti homines meos et villicos meos frusta carnis auferre; *qua re* nos doces et patefacis malitiam tuam [9], quod filios Dei non vis afferre victimam in eius templum [10] vel nomine Iesu bonum quicquam facere [11]. Si audies eos ad oracula daemonum se contulisse, gaudebis, quoniam tu quoque rem procreatam potius adoras et colis quam omnium rerum auctorem, Iesum, qui in aeternum benedictus est [12], *et quidem* magis *gaudebis,* quam si audies vel videbis eos ad Deum venire, ubicunque invocatur [13] et laude tributa benedicitur, aut si plures homines, quam quos dixisti frusta carnis auferre, haud parce mihi largientur, quod ego quoque iis — fratres [14] enim mei sunt — bene famulor in thesauros [15] caelestes iis colligens ea,

[1] Cf. Ioh., i, 14; xiv, 23. — [2] Cf. Ioh., viii, 44; I Ioh., iii, 8, 10. — [3] Cf. *Rom.,* ix, 33; x, 11; *Phil.,* i, 20; I Petr., ii, 6. — [4] Dictum est (ⲚⲦⲀⲨϪⲞⲞⲤ)? — [5] Cf. *Rom.,* ii, 7; I Petr., i, 7; iv, 14. — [6] Cf. Ioh., v, 41; *Rom.,* ii, 29. — [7] Cf. Ioh., viii, 32, 34; II *Cor.,* iii, 17; *Gal.,* iv, 31. — [8] Cf. Ier., xxxvi, 20-23. — [9] Cf. *Prov.,* xxvi, 26; Ezech., xvi, 57. — [10] Cf. I *Reg.,* ii, 17. — [11] Cf. *Col.,* iii, 17. — [12] Cf. *Rom.,* i, 25; ix, 5. — [13] Cf. I *Cor.,* i, 2. — [14] *Gen.,* xiii, 8; xxxvii, 27; *Hebr.,* ii, 11 et sq. — [15] Matth., vi, 20; xix, 21; Marc., x, 21; Luc., xviii, 22.

quae Deo dono dant. Num ex domo tua domoque patrum tuorum ea extulerunt? Quae tua non sunt, rapis, homo nequam. Prave autem agis vicissim impedimentumque affers indigorum benefactoribus ea, quae largiuntur sive quibus egenos sublevant, Christi
5 esse scientibus concessa sibi ad usum et bonis operibus ditescendum. Numquid etiam medio in capite tuo resideo, quod dicis : « Quando tandem avehetur [1] ? » licet dicat : « Proficiscar » diem de die proferens? » Cur hoc tantum ego super te onus sum hac ipsa ratione, quod ad reges profectus sum? An non profectus sum?
10 Nonne * caeli et terra et quae in iis sunt universa Christi sunt? * p. 81.
Num Saturnus, pater tuus, quicquam omnino habet praeter peccata, ea quae tu ei excolis, tu tuique similes, qui seritis [2] et colligitis ei perfidias et mendacia et iniurias et blasphemias omnesque res pessimas? Si tu eiusmodi herba mala esses, ut tibi ipsi cresceres,
15 secundum verbum Domini [3], cui male dixisti, usque ad tempus messis ferre te conveniret. Sed tu vepres es et carduus, qui in viis es impedimentum viatorum. Propterea succidere te convenit et radices tuas evellere.

Quoniam autem verbis tuis fallacibus etiam dixisti : « Si vere
20 monachus esset, intra quadraginta *illos* dies tres caedes non faceret » — *interfectiones* porcorum et vaccae, quae in domibus ethnicorum iugulata sunt, appellas caedes — ad eructata tua verba ego quoque ita dicam : « Si recte non feci, quod in simulacrorum cultores exemplum edidi, quanto tibi crimini est, quod delinquis intra quadra-
25 ginta *illos* dies ac sollemni sancto*que die* paschatis, quem omnes agunt, ipsi reges quoque iusti. Tu vero coquos tuos eo *die* tibi operari iubes; luxuriaris *enim* et decipis sine timore aliique ut tecum decipiant efficis ».

Quoniam autem rursus ad me misisti : « Veni et perscrutare domos
30 meas, si simulacrum in iis invenias » — iterum perscrutatus domum tuam nullum ibi inveni simulacrum. Nonne aliud tibi est praeter ea, quae abstuli? Aut si simulacra tua domestica aufero, num etiam solem caelestem occultare potero et lunam et stellas [4], quas quidem veneraris? * Aut *num* muros ab occidentis partibus exstruam, ne * p. 82.
35 ad occasum versus preces facias? Aut *num* in flumine et in lacunis tuis vigilabo, ne Saturno libes super aquas lotionum? Proinde

[1] Ad verbum : Dum quid fiet, avectus non est? — [2] Cf. *Prov.*, XXII, 8. — [3] Cf. MATTH., XIII, 30. — [4] Cf. *Deut.*, IV, 19.

desine haec verba mendacii astutiaeque *plena* proferre, homo in magna mala delapse!

Ut enim impius es, ita egenos iniuriis tuis opprimis. An non haec etiam insectatio quaedam est, quod homines, maxime sacerdotes ecclesiae, sequimini, dum eos ex domibus suis exstinguatis, hocce 5 potissimum tempore, in his magnis miseriis terrae illatis? Invaditis in domicilia eorum, cum neque filius ibi neque pater neque quisquam omnino eorum est, quoniam aufugerunt, iumenta et currus et stramentum eorum aufertis et in fundos vestros deducta supra vires suas circumire cogitis. 10

Quid tandem est sollemne pascha? Quod ut celebrent, otium iis non tribuitis, ne recentibus navigiis quidem, quae aedificastis : tum *ipsum* in aquam ea deducere eos cogitis. Non modo tum non lugebant, sed etiam eos adduxistis, ut laetitia inviti exsultarent.

Quis est, qui omnia vestra maleficia recensere possit? Ita quidem 15 vitulum vestrum, si periturus est vel si... nec ad vestrum usum idoneus est, caedere soletis et in frusta, sicut vobis libet, dissecare et hominibus obtrudere, ipsis viduis et senibus anibusque et orbis peregrinisque exigentes ab iis maiorem pretio pecuniam, dum pretium vituli colligatis duplum pro vilissimis carnis frustis, cum 20 ossa sint resque inutiles.

Ita etiam vitulos et boves iis in singula praedia traditis alendos, * p. 83. dum adolescant et eos auferatis *, alios quidem, ut dono vobis dentur neque quicquam commodi iis retribuatis, alios rursus, ut vobis nutriantur; hoc modo etiam equos et asinos et oves et vitulos 25 et porcos. Utinam hac re etiam vos contineretis! Quaecumque enim e iumentis eorum vel ex aliis etiam rebus concupivistis, ea iis eripitis, alia sine mercede, alia pretiis exiguis, ut omittam panem et vinum et pabulum et stramentum et hordeum iumentorum vestrorum et alia omnia. 30

Ita rursus eos congregatis, ut in navibus pro vobis excubent eo tempore, quo barbarorum causa fugere soletis. An eos barbarus non persequitur? Ipsi quoque uxoribus et filiis tenuique supellectile in iumenta vehiculaque impositis e locis suis, ut se servent, in alia loca fugiunt. Quare multi ex iis homines suo sumptu conductos ad 35 vos mittunt, ut pro vobis excubent.

Neque his vos continetis, sed iniurias vestras etiam augetis. Ita etiam ab iis exposcitis, ab unis quandam in singulas domos copiam (?) tritici, quoniam hominibus redundant, ab aliis vicenos quinos

modos(?), ab aliis artaben ex occasione lavandi in balneis, quamvis plorantes *dicant* : «Lavari nolumus, pane, quem comedamus, caremus, eiusmodi rem non curamus, liberi nostri famelici *et* nudi sunt», *et* maior eorum pars profiteatur : «In balneis lavari non
5 solemus». An non istae *balneae* eos vexant, quoad eas et domos quoque aedificant vobis ipsos propter eas vexantibus? An coloniae adhuc sunt vici? Num vos etiam eorum domus in eis exstruxistis? Et * hae afflictationes eaedem sunt, quibus eos affligitis vestris vexa- * p. 84.
tionibus et vinis corruptis et laboribus omnibus et iniuriis. O ho-
10 mines, quos haec vox notat «litigiosos *et* non acquiescentes veritati, credentes autem iniquitati : ira et indignatio et tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum [1]».

Verumtamen in conspectu tuo, Deus virtutum [2] omnipotens, dicam : «Ne insipientiae meae iratus sis! Nihil te oblivisci scio, tu
15 per sanctos prophetas tuos glorioso illi Pharaoni dixisti : «Dimitte populum meum, ut me colant [3] vel dies festos mihi agant [4]». Tu per eos etiam dixisti : «Vacate et scitote me esse Deum [5]». Miserere igitur populi tui [6], patiens et misericordiae plene [7], et e manu eos opprimentium sicut tunc populum tuum Israel eos eripe, ut
20 ipsis alium non esse praeter te deum [8] cognoscere vacet. An non vides Graecos et gentes et impios te novisse nequire [9], quoniam ab infidelitatibus et impuritatibus suis universis non vacaverunt? Praeclude igitur omnem omni loco improbitatem omnemque iniuriam iis, qui ab initio terrae usque ad finem orbis terrarum iniuria
25 illos afficiunt, ut iis, qui te noverunt, tibi servire vacet. Tibi enim servire non poterunt, si serviant oppressoribus. Nonne populum tuum Israel quondam eripuisti e manibus impii illius Nabuchodonosor [10] aliorumque omnium [...

25. De idolis vici Pneueit. I.

Haec sunt verba, quae Sinuthius in institutione quadam fecit,
30 quando Antinoëam venerat eo tempore*, quo sacerdotes idololatrae * p. 85.
accusabant christianos illuc ad stationem ducis eo die deductos, quo eorum templum, quod Pneueite erat, destruxerant.

[1] *Rom.*, II, 9 et sq. — [2] Cf. *Ps.* LXXIX, 5, 8, 15. — [3] *Ex.*, III, 18; IV, 23; VII, 16; VIII, 1; IX, 1; X, 3. — [4] *Ex.*, V, 1, 3. — [5] *Ps.* XLV, 11. — [6] *Eccli.*, XXXVI, 14. — [7] *Num.*, XIV, 18. — [8] Cf. *Deut.*, III, 24; XXXII, 39; Tob., XIII, 4. — [9] Cf. *Sap.*, XII; *Rom.*, I, 21 et sq. — [10] Cf. *Iudith*, X-XV.

Intonuit de caelo Dominus et Altissimus dedit vocem suam. Misit sagittas suas et dissipavit eos, fulgura multiplicavit et conturbavit eos [1]. Apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum [2].

Contristatus sive animo afflictus ita dicam : *Quantus est animi dolor eorum, qui de nobis animo afflicti sunt, propterea quod satanas, qui sicut fulgur de caelo decidit [3], eum [4] numerat in iis, qui delicta per eum committunt velut fortem, cum sit infirmus. Nam potestatem si adhuc habet, habet in eos, qui ei locum in se dant, quoad gravia mala iis infert [5], imprimis vero ethnici et haeretici, filii draconis [...], quos[6] [prophetae] dixerunt « serpentes et genimina viperarum [7] » fugacium.

Daemonia *illa* quidem exsecrata sunt simul cum operibus suis omnibus. Sed verbum proferam, *quod sit* dedecori et pudori et opprobrio et condemnationi vobis *et* omnibus, qui in opificem suum non credunt.

Hoc est : Daemonia Dominum quondam cognoverunt et prostrata adoraverunt magnaque voce * clamaverunt : « Quae res tibi nobiscum est, fili summi Dei? » Et cum iterum exclamarent : « Tu es Christus, Sanctus [Dei] », etiam [increpat] eos [8], ne eos loqui patiatur [9]. Vos vero eum ignoravistis.

Daemonia tremuerunt et propter timorem eum professi *ad pedes* eius procubuerunt sicut in sanctis evangeliis scriptum est [10]. Vos vero, veritatis inimici, in notitiam divinitatis eius non penetrastis.

Daemonia eum rogaverunt, ne ante tempus se torqueret, et insuper, ut sibi in porcos ingredi permitteret [11]. Vos vero eum non rogavistis, ut intellegentiam vobis daret ad se cognoscendum, ut ignem inexstinctum evitaretis.

A daemoniis obsessi et [claudi] et caeci [...

*p. 86.

26. De idolis vici Pneueit. II.

Sinuthii oratio tertia.

Tantummodo doceo omnes, qui hoc oppidum incolunt, in quo

[1] Lege ⲁϥϣⲧⲣⲧⲱⲣⲟⲩ. — [2] *Ps.* xvii, 14-16. — [3] Cf. Luc., x, 18. — [4] Nos (ⲙⲙⲟⲛ)? — [5] Cf. Luc., xi, 26. — [6] Lege ⲉⲧ[ⲃⲏⲏⲧⲟⲩ]. — [7] Matth., xxiii, 33. — [8] Lege ⲉϥⲣⲡⲕⲉ[ⲡⲓⲧⲓⲙⲁ ⲛ]ⲁⲩ. — [9] Cf. Marc., i, 21-28; Luc., iv, 31-37. — [10] Luc., viii, 26-39; Marc.; v, 1-17. — [11] Cf. Luc., viii, 32; Marc., v, 12.

isti impii et diaboli satellites haec opera perpetrant pestifera : «Considerate neminem e vobis ablatum esse, sicut quidam dixerunt : «Auferri poterimus, praesertim cum tempus grave sit». Ego ipse iis respondi omnibus audientibus : «Nisi enim haec verba per im-
5 prudentiam dixissetis, Deus vobis succenseret vel mala orerentur, quia Dei nomine rem gessimus».

Circumspicite terram et videte, utrum agri consiti ampliores sint an ii, qui propterea, quod * Misericors aquas super terram propter peccata nostra non immisit, inculti iacent. Campum igitur consitum [1]
10 non attigerunt neque quicquam destruxerunt. Beneficio enim caritatis eius, qui in ipsis operatur, pro sua in eum voluntate venerunt. Ad eius gratiam, quae eas gubernat, etiam abierunt, cum terram non irrigaret, ut contremisceret.

* p. 87.

Unde fit, ut omnes hae turbae una aliqua hora in illum locum
15 conveniant, mares simul et feminae? Quis eos certiores fecit? Aut quis eos circumiit? Praesertim si illuc clam intramus tempore sublucano et hora solis orituri, quoniam homines *id* scire nolumus. Unde cito venerunt ex multis vicis multisque coloniis irae in illos Dei inimicos pleni pro sua in Christum fide, quae in universo animi
20 eorum desiderio operatur, ita ut tramites eos non caperent ex domiciliis suis egressos *et* uno ore «Iesum, Iesum» clamantes, cum impii isti homines mirarentur intuiti eos in curribus *vehentes et* incedentes, laudem Deo tribuentes eiusque Christum collaudantes Iesum, qui sanguine suo eorum animas sibi purgavit?

25 Num filii tenebrarum et caliginis, qui instar fugientium leones vulpium aufugerunt, ad filios lucis, qui in *eo* oppido sunt, e cuius domibus simulacra et volumina foeditatis plena abstulimus, mittent, ut dicant : «Animum locis nostris intendite, quoniam homines in domos nostras venerunt nobisque molestiam exhibuerunt», propterea
30 quod nesciunt, quis illuc venerit vel quas ob * res venerit? Etenim miserunt; qua occasione, nescimus. Num opera Dei *nos* secreto perpetravimus, ut *isti* opera diaboli furtim perficiunt? Profecto si de vobis ii, qui illis prospiciunt, sicut multos vidi terram ipsis inspergentes et plorantes et «Parce [2] iis!» rogantes, metuent, ne
35 decipiantur, ut audivi, quanti diaboli sunt, quod in opitulantes sibi male agunt! Profecto si Dei rationem non habuerunt, an rationem habebunt hominum?

* p. 88.

[1] Lege ⲉⲥⲣⲏⲧ. — [2] Vel : parcite.

Propterea vos nolite timere. Abditus non lateo. En ecce ego magos *et* veneficos *et* horarum interpretes *et* stellarum caeli computatores *et* simulacrorum cultores impugno. Aut si abeuntes dicunt : « Tributum pendemus », interrogandos eos, quomodo sint (?), vos ne curaveritis; tum sibi ipsi damnum inferunt. 5

Terra autem, cui reges fideles Deus dominos praefecit, ipsa quoque est, e qua, quae regis sunt, regi etiam danda sunt [1]. An in domibus hominum in omni dolo omnique malitia versatorum se regibus carentes fuisse dicent? Postquam ab eis discessi, nihil mali iis accidere passi sumus. Sed tamen negaverunt atheos esse filios irae, 10 quae revelabitur de caelo [2], qui universam hanc materiam tamquam deum ex suo quisque more venerantur. Profecto reges si cognossetis, non timeretis et Deum perciperetis. Faciam igitur, ut eos cognoscatis, reges illos, qui subicient vos ecclesiae eiusque illustratori, *p. 89. *patri nostro sanctissimo et martyri Cyrillo archiepiscopo. Aut 15 gladius maiorem vestri partem exstinguet et reliquiae quoque vestrae peregre demigrabunt.

Sed quoniam etiam dixistis : « Cui nobiscum res est, is in iudicium adeat », mihi vobiscum res est ac vobiscum litigandum. Nam nonnullis adhuc diebus omnia scientur et cognoscetis, quae vobis contingant, 20 non semel neque iterum, qui dixistis : « Reges aures reserabunt verbis, quae multis ex annis eorum saluti serviunt ».

Atque praedas, quas dixerunt nobis partas esse, en ecce omnes apud nos conservamus inde a Pane nostro, cuius quidem foeditati eorum animus pro sua duritie similis est, et gladio, quo rem a Deo 25 procreatam occidunt et conficiunt, et volumine omnium artium magicarum pleno usque ad ipsa eorum simulacra et ea omnia, quae iis solent offerri, et vas iis *appositum* panis omniumque primitiarum plenum et candelabrum ante ea constitutum[.......................... Sed] saepe numero mittere mihi curae erat, cum vellem videre de 30 istis hominibus sanguinariis, qui delictis omni prava machinatione *p. 90. in christianos commissis satiari non potuerunt, ut scirem, afferretne * causa (?) nostra ulli omnino homini dolorem, quoniam nullus foris homo cognovit voluntatem nostram (?), nisi forte nos soli.

27. De omnipotentia Dei.

. . .]et panis et primitiae omnes, in magnum hunc vicum ascen- 35

[1] Cf. Matth., xxii, 21; Marc., vii, 17; Luc., xx, 25. — [2] *Rom.*, i, 18.

dens. Regum autem iustorum, quibus Deus tradidit gladium, munus est eos ulcisci et sanguinem eorum in ipsorum capita inferre. Rursus etiam hoc servus tuus, qui tuae solius iustitiae memoriam colit, differt, quod aes vel vestem vel aliud omnino aliquid e domibus impio-
5 rum non abstulit, ne quidam dicerent eum aurum vel argentum plus diligere quam te, Christe, verum thesaurum verasque divitias te amantium, neve rem, quam egimus, spernerent propter radicem omnis mali, pecuniae cupiditatem. An aliis tuis bonis indigemus? Non*ne* nobis sufficit, quod te nobis cognoscendum praebuisti? Homines
10 quidam non intellegunt te esse Deum, etiamsi totum habeant mundum — neque enim eum habent — exsecrati sunt, quoniam ignoraverunt tuum esse aurum, tuum esse argentum, tuum esse orbem terrarum et quae in eo sunt omnia.

28. De iniuriis Sinuthii.

. . .]efficient non solum, ut plerique cum animi de iniuriis suis
15 dolore decumbant, sed ut * multi etiam laborent recordantes, cum * p. 91. inter se conveniunt (?), molestiam egestatis et miseriam, in qua versantur cum liberis suis propter (?) vestimenta vilia.

Meliores iis sunt muli iumentarii. Videte, homines malefici, hominem a Deo procreatum ipsum, quoniam non invenit, impu-
20 gnare; contra autem videte, quales sint muli vestri iumentarii, maxime in (?) variis quae sub oculis vestris sunt sacrariis, et quantum sit eorum pretium et quanti contra constet vestis eius, quem poscitis vinorum vestrorum pretium malorum, et quomodo comedat. Cibi avidus est, nequit satiari.
25 Num Deus tacebit, ut haec non iudicet vel non inquirat, ut aiunt *sacrae* litterae [1]? Sed vos opera Dei odistis, conquerimini, quod huiusmodi homines ad nos recipiamus, cum dicitis : « Vulgus ad se congregat ». Quo congregavi ad me vulgus? Vel quo die ante turbam incessi? Opera perpetravi perturbationis, licet ea opera sint, quae
30 ad cultum divinum pertinent? Nihil enim feci tumultuose neque tum, cum simulacra colentium templum, quod Atribi erat, incendimus, neque tum, cum excessimus cum christianis, qui ad iudices hermopolitanum (Šmun) et antinoupolitanum ducti sunt, quos sacerdotes accusaverant de templo quoque, quod ipsi rursus in vico suo

[1] Cf. *Ios.*, XXII, 23; Ioh., VIII, 50.

p. 92. diruerant. Vel potius * quid hominibus abstuli, [velut] eo die, quo simulacra illa ex Copto abstulimus... praeter septem monachos [...

29. De duritie divitum.

...]adulterium et stuprum et pollutio et masculorum concubitus aliaque peccata sunt mala [val]de. Attamen dico vobis : «Non est alia legum violatio peior quam egentium cuiuslibet generis oppressio, etiam eo usque deducta, ut iis merces sua dentur frumenta corrupta vel vinum vel aliquid denique aliud vile sive abiectum aut ut mercede sua priventur vel sponsio iis fiat... Qui haec verba audire recusat, iniuriam omnemque rem malam convictus est anteponere iuri omnique rei bonae.

Sinuthii oratio.

30. De synodo antinoupolitana.

Eiusdem.

Docebo autem vos etiam, quid Antinoëae me episcopi interrogaverint. Dixerunt : «Estne bonum id, quod hoc monachorum genus vel etiam alii faciunt, qui «precamur» inquiunt neque operantur»? p. 93. Atque etiam * quid presbyteri Dei metuentes et curam de iis rebus, quae in aedes *sacras* inferuntur, diligenter adhibentes quaesierint : «Utrum licet iis, qui in illis *aedibus* sunt, ad se ipsos *aliquid* mittere annon?»

Dixi eis : «Hae res duae, quas quaeritis, difficiles intellectu omnino non sunt iis, qui utilitati animae suae student.

Sanctus apostolus, ipse heri est, ipse hodie est et etiam in aeternum [1], dicit : «Is, qui non vult operari, ne manducet [2]». Doctrina vere perfecta [3].

Praeterea : Qui sacrariis operantur, de iis, quae de sacrario sunt, edunt. Qui altari vacant, inter se et altare partiuntur [4]. Altare *et* aedes *sacra* unum quiddam sunt. Audite «partiri»! Ergo si homines, qui panem vel aliam ex aliis rebus portionem demere volunt [5], portionem altaris ipsi rursus ex omnibus possessionibus tribuere debent,

[1] Cf. *Hebr.*, xiii, 8. — [2] II *Thess.*, iii, 10. — [3] Lege ⲉⲥϫⲏⲕ. — [4] I *Cor.*, ix, 13. — [5] Lege ⲟⲩⲱϣ.

ne ii, qui ad id (*i. e. altare*) pertinent, de iis, qui ea ab eo auferunt et rapiunt, conquerantur — qui autem ad id pertinent, viduae sunt et pupilli et egeni claudique et peregrini ceterique omnes, de quibus scriptum est [1] — vel etiamsi inter nos peccavimus, num etiam in altare peccabimus? vel id violabimus? rapiemus etiam ea, quae ad ipsum pertinent, sicut nostra inter nos rapimus, etiamsi ei non reddemus de parte nostra? Immo vero ne privemus ipsum, non solum, quia magister haec scribit, verum etiam dicit : « Ego autem nullo horum usus sum [2] » et rursus : « Operamur die ac nocte, ne quem vestrum gravemus [3] ». Res enim in aperto est : Qui huic operationi confidunt *, recipiunt mercedem suam neque quicquam a Deo se recepturos sperant. Precatio enim, quam faciunt, nutrientium et vestientium se est. Maxime efferam illos huiusmodi homines pigros, sicut non operantur, ut panem suum edant, *ita* ne preces quidem fundere. Quis unquam Christi curis omnibusque operibus magis dilatatus est [4] quam sanctus apostolus? Et docet nos se operari, ut ii, qui : « Eum, inquiunt, secuti sumus », ne omittant vires suas contendere, quemadmodum se nobis exemplum proposuit [5]. Nullam statuit rem, nullum omnino statuit mandatum, quin omnia nos ea doceret, cum haberet potestatem manducandi et bibendi et non operandi, porro autem sororem mulierem post se ducendi. Haec omnia nostra causa facit, qui omnium rerum potestatem habet. »

* p. 94.

31. De synodo ephesina.

. . .]Israelis (?). Nobis quoque baptisma datum est. Loco columnae nubis filiis Israelis illo tempore concessae, ut eos interdiu duceret, et columnae ignis nocturnae [6] lignum habemus vitae, crucem die noctuque fulgentem, cuius lux numquam obscuretur; loco fiscellae, in qua positus est Moyses [7], ecce praesaepium sanctum et sepulcrum venerabile, in quo Christus est conditus; loco rationalis et superhumeralis [8] incunabula sunt, quibus filius Dei colligatus est.

Satietas haec enarrandi hodie me quidem non capiet; sed propter debilitatem audientium et quia guttur meum * defatigatum est, cari-

* p. 95.

[1] Cf. *Deut.*, xiv, 29. — [2] I *Cor.*, ix, 15. — [3] II *Thess.*, iii, 8. — [4] Lege ⲡⲉⲧⲟⲩⲟϣⲥ (K. Sethe). — [5] Cf. II *Thess.*, iii, 9. — [6] Cf. *Ex.*, xiii, 22; I *Cor.*, x, 1 et sq. — [7] *Ex.*, ii, 3. — [8] Lege ⲙⲡⲗⲟⲅ[ⲓⲟⲛ ⲙⲛ ⲡϩⲃⲥⲛⲁϩ[ⲃ . . .]. Cf. O. von Lemm, *Kopt. Miscellen*, lxxi.

tati vestrae verbi avidae pauca proferam, ut reliqua differam in diem alium.

Vidistis, quid constituerimus sive quod pactum deposuerimus eo tempore, quo ad concilium ephesinum congregati eramus, sicut episcopis una mente visum erat diem festum (*i. e. nativitatis Domini*) 5 ita per biduum agi, ut ii quidem, qui in luctu essent, laetitiam et luctus sui relaxationem perciperent, ita ut non plorarent neque lamentarentur, ne huic *diei* festissimo tristitiam afferrent, ii rursus, qui labores corporis subirent, otium sibi tum [1] concederent. Si vero de his eiusmodi praecepta dantur, quanto in periculo erimus, si 10 iram Dei his diebus sacris conciebimus! Quicumque fratrem suum iniuria afficiet in se ingementem — is, qui hodie genitus est, gemitum eius non negleget. Superbus *homo* eandem fidem profitens Deum, procreatorem nostrum, conspiciat fasciis involutum *et* in praesaepi positum et suae ipsius humilitatis, quod homo sit, memi- 15 nerit ac de se abiciat superbiam. Magistratus inhumanus *et* in egentes, magis vero in servos suos immisericors recordetur de vere divite, qui, cum dominus rerum sit omnium, nostra causa inops *et* hominis causa servus factus est [2]. Quicumque hodie se polluit, hoc *die* festissimo, cum hoc ait convivium (?) nuptiale esse, 20 de hoc profecto *sacrae* litterae : «Homo, inquiunt, non saturabitur carnes brachii sui devorans [3]».

Si non est dies praeter ceteros sanctus aut dies praeter ceteros * p. 96. sollemnis, quid opus est *sacras* litteras dicere : * «*Dies* meos festos ne pollueritis [4] et sabbata mea custodietis [5]»? Maxime qui hisce 25 diebus sanctis scortantur, hi vere digni sunt, quorum memoria, ut scriptum est [6], aboleatur. O homines, qui nullam vestri memoriam reliquistis die mortis vestrae, nonne omnes anni dies vobis satis fuerunt ad turpes vestras libidines explendas? Qui enim hisce diebus sanctis Deo, quem cognovimus, cognito haec opera pestifera perpe- 30 trabunt, eos non solum nos homines separamus, sed ecclesia catholica et is, qui pro ea se tradidit, proicient. Magis te, o carissime, nosce! Haec tibi suadeo maxime te eripiens lupo satanae. Tua causa, o carissime, Deus involucris colligatus est : ne nos iterum colligemus turpitudine peccati! Deus positus est in [. . . 35

[1] Vel : ab ipsis. — [2] Cf. II *Cor.*, VIII, 9 ; *Phil.*, II, 6 et sq. — [3] Cf. Is., IX, 20. — [4] . . . — [5] Ex., XXXI, 14 ; *Lev.*, XIX, 3, 30 ; XXVI, 2. — [6] Cf. *Iob.*, XVIII, 17 ; *Ps.* IX, 7 ; XXXIII, 17 ; CVIII, 15.

32. De abbate Pgol.

Dies undetricesimus *mensis* mechir, *dies* festus apa Pgolii.

Exemplum quoddam proponam, quod ex patre meo audivi — bonus pater meus est is, qui horum conventuum fundamenta posuit. Homo quidam, inquit, habuit filium et duas filias, quibus domos construxerat, quibuscum nihil sub caelo comparare poteris constructione et ornamento et pretio. Huic (*i. e. filio*) quidem suam *domum* dedit, ceteris autem suam utrique *domum* dedit et id, quod de hereditate sua accipere debebant. Repente autem, velut si mente capti essent — fuerunt enim mente capti — puer *ille* quidem domum suam peregrino cuidam dedit et * ea, quae possidebat, simul cum ea (* p. 97.) tradidit. Filiae autem altera quidem ipsa quoque *domum* suam tradidit et id, quod a patre suo acceperat, simul cum ea dedit, — altera suam *domum* panis *pretio* vendidit unius. Hae res eorum sunt virorum, qui se pretio stuprorum vendunt et, quae ipsorum sunt, ea simul secum tradunt, quod sibi non asciscunt dictum, quod scriptum est : «Ne dederis mulieribus substantiam tuam[1]» et : «Qui sectatur fornicationem, perdet substantiam suam[2]». Et *hae res sunt* mulierum, quae quaestus auferunt maritorum suorum *et* adulteris suis tradunt secundum id, quod scriptum est : «Mulier, quae est adultera, res aufert mariti sui *et* adulteris secum tradit[3]», et mulierum, quae corpora sua vendunt corruptioni omni corruptione peiori cibi pretio minimi secundum id, quod scriptum est : «Pretium mulieris scorti vix est unius panis[4]». O quanta est exsecratio mulieris, quae se interimit aliosque secum interimit pretio quinque nummulorum, pretio unius panis secundum id, quod scriptum est[5] : «Virorum pretiosas animas venatur». Castigabitur igitur, quod se ipsa interemit, an iudicabitur propter eos, qui ei adhaeserunt ? Profecto non sufficit gemitus mariti eius, qui ei et eam adulteranti superveniet; Deus enim non tacebit. Si homo, cum in uxoris suae adulterum vindicare potest, non tacebit, quanto magis is [*non*][6] parcet, qui eos finxit! An non audis : «Ira enim viri eius plena zeli est neque parcit die vindictae neque pro simultate sua ullo pretio reconciliabitur neque multis placabitur donis[7]» ? Homines, qui

[1] *Prov.*, xxxi, 3. — [2] Cf. *Prov.*, xxix, 3; Luc., xv, 13. — [3] . . . — [4] *Prov.*, vi, 26. — [5] Ibid. — [6] Lege ⲉϥⲛⲁϯⲥⲟ ⲁⲛ. — [7] *Prov.*, vi, 34 et sq.

* p. 98. gladium alter in alterius pectus intendunt * *et* humi prosternuntur simul*que* moriuntur, sunt masculorum concubitor et mollis quoque. Et cum quo iudicabuntur? Vel quis iudicabitur propter eos? Ipsi perniciem sibi afferunt sua ipsorum voluntate. Mas mulierem interficiens et mulier marem interficiens est adulter et ab eo adulterata. 5 Et cum quo iudicabuntur? Vel quis iudicabitur propter eos? Homo sibi ipse mortem consciscens est is, qui carnem suam corrumpit his sceleribus. Et cum quo iudicabitur? Vel quis iudicabitur propter eum? Talis est etiam femina, quae suas ipsius carnes mactat et in interitum detrudit. Quid dicet die miseriae? Vel ad quid ii, qui his 10 in foeditatibus moriuntur, condemnabuntur nisi ad ignem gehennae? Qualis est fortitudo mulieris, de qua dicitur : «Corona mariti sui est mulier fortis»[1], nisi quod adulterium proculcat sicut Susanna[2]? Eiusmodi est etiam mas, qui adulteria proterit sicut Ioseph[3]. Si hi huiusmodi honores sunt matrimonio coniunctis, maribus et feminis 15 lectum genialem conservantibus castum, quanto honore quantaque fortitudine sunt eae animae, quae virgines sunt vereque sanctae, sive mares sive feminae! Quodsi virgo esse non potes, o homo, sicut..[...

33. De introitu monachi.

...] in benignitate et humanitate, anima sua pro me data virtute p. 99. verbi sui, cum mihi dicerent: «Si vivere vis, frater et amice noster *, 20 et Dei videre promissa et in perfectione ascendere, aufer animi tui culpas. Reliquos vitae tuae dies compone ad voluntatem Dei. Audi, quae in evangelio nobis dixerit Dominus praeter omnia desiderans externa nos relinquere seque per otium sequi, ut inveniat, qua ratione legem suam nobis inserat germenque suum sanctum ferat 25 in nobis fructus. «Ambulans, inquit, iuxta mare Galilaeae vidit duos fratres, Simonem et Andream. Dixit eis : «Sequimini me». Illi autem continuo relictis retibus eum secuti sunt. Rursus autem etiam paululum processit vidit*que* alios duos fratres, filios Zebedaei. Pariter eos vocavit. Illi autem navigio et patre suo relicto eum secuti 30 sunt[4]». Ita apostolos fecit omnes. Postquam autem ei se adiunxerunt, paupertatem eis dedit et nuditatem[5] et ut sibi vim inferrent[6]...

[1] Cf. *Prov.*, xii, 2; *Eccli.*, xxvi, 2. — [2] Cf. Dan., xiii. — [3] Cf. *Gen.*, xxxix, 7-12. — [4] Cf. Matth., iv, 18-22. — [5] Cf. Matth., x, 10; Marc., vi, 8 et sq.; Luc., ix, 3; x, 4. — [6] Cf. Matth., xvi, 24; Luc., ix, 23; xiv, 27.

et submisse se gererent [1]. Deinde eos in terras dispersit [2], ut in peregrinatione essent et egestate, ne quem invenirent sibi notum, qui necessitatibus eorum subvenire posset, ut*que* spem ponerent in Deo solo. Te autem ipsum, frater noster, iubemus praeter omnia domui tuae renuntiare tuisque hominibus et rebus huius terrae, ut facultatem obtineas verbi divini per otium audiendi et scias vim * humilitatis Domini nostri, quomodo eam nostra causa sustinuerit, et apostolorum, qui eum secuti sunt, inopiam egestatemque cognoscas et donum degustes Spiritus sancti et intellegas, quam parvitatem et infirmitatem magnus *ille* solusque potens nostra causa induerit, quomodo mediis in rebus a se procreatis velut peregrinus ambulaverit. Neque enim foedus cum Abrahamo [3] in terra cognationis eius ictum est neque amicus Dei factus est in terra patrum suorum [4], sed pater multarum gentium [5] constitutus est, postquam magno suo desiderio, filio suo, renuntiavit. Et Isaac [6] rursus, cum quam habuisset cum Deo pater suus amicitiam vidisset, ipse quoque in terra peregrinationis suae remansit. Iacob quoque cognomine Israel [7], i. e. qui Deum vidit, appellatus est, cum ex Mesopotamia, quae erat terra maiorum eius, veniret. Iosephum [8] quoque Deus toti terrae Aegypti praefecit propterea, quod per iniuriam translatus erat in terram non suam. Porro autem si universas litteras *sacras* percurres, o frater noster carissime, plurimos sanctorum et prophetarum invenies Deum vidisse propter exsilii sui iniuriam. Quae enim est gratia, quam non obtineas in exsilium iniuria actus? Silentium, si voles, cito invenies; neque enim est, qui tecum de curis tuis superioribus colloquatur, quoniam cognatio tua nescitur. Non est, qui curis te * implicari cogat, neque enim a multis ad vitam revocatus es, quia te ignorant. Humilitas porro te undique circumstat; eam defectus opum ut tibi afferat, e longinquo veniet. In egestate enim versaris media; neque enim est, qui te honoret, ita ut inopiam tuam sublevet. Mansuetudinem facile obtinebis; gratias enim ages, si quis salvere te iubebit. Timor Dei omni tempore tecum est. Curam alienarum rerum distinentem deposuisti. Iniuria te insecuti sunt? Exsultabis [9], quod spes tua et firmamentum tuum est Deus solus. Hae igitur sunt gratiae, quibus Dominus discipulos suos ex evangelio beat. Cum vero

* p. 100.
* p. 101.

[1] Cf. Matth., xi, 29; — [2] Cf. Matth., x, 5 et sq.; xxviii, 19 et sq.; Marc., iii, 4; vi, 7; xvi, 15; Luc., ix, 1-6. — [3] Cf. *Gen.*, xv, 18. — [4] Cf. Iac., ii, 23. — [5] Cf. *Gen.*, xvii, 5. — [6] Cf. *Gen.*, xxvi, 2-6. — [7] *Gen.*, xxxii, 28. — [8] Cf. *Gen.*, xli, 40 et sq. — [9] Matth., v, 11 et sq.

haec, frater noster, tibi sive te contingent, inimicum secure persequeris, quoniam nullus te latet laqueus neque hami eius te capient. Tum intelleges animi tui arcana et cogitationum tuarum fies custos et ignis Spiritus sordes tuas comburet et lucerna [1] Dei flamma sua te collustrabit et in cubiculo tuo tranquille sedebis, quae utilia sint 5 probans, et somnus tuus erit placidus. Cave pollutionem, quoniam turpissima est et hominis deminuit dignitatem. Superbiam animi fuge et oris iracundiam, ne quam humilitati tuae, quam tibi comparaveris, labem aspergas; detestatur enim Dominus omnes superbos et Deus eis adversatur [2]. [Noli(?)] lingua esse procax nec de operi- 10 bus tuis gloriari, ne pereat tibi virtus peregrinationis. Tenuissimis

* p. 102. cibis vescere * et vilibus, ut copiam habeas tranquille accedendi ad mensam Domini. Pretiosam vestem noli concupiscere, quia inenarrabiles sunt stolae et vestimenta, quae homines liberi gestabunt. Adiunge te ad eos, in quibus Dei sunt gratiae, ut te qui eos comi- 15 tantur angeli noverint tuique fiant amici. Esto socius eorum, qui Dei causa egeni sunt, quorum quidem sedes sunt in deserto, ut invenias apud eos. [...

34. De passione et resurrectione.

Similiter 4° die festo resurrectionis Domini nostri.

Sinuthii oratio. 20

Si Iesum calumniati sunt secundum id, quod dictum est [3] : « Inimici Dominum calumniati sunt », qui fiet, ut tete propter eum non calumnientur? Si contumelias ei dixerunt secundum id, quod dictum est : « Prodierunt in affectum cordis, cogitaverunt *et* locuti sunt nequitiam, iniquitatem in sublime locuti sunt, posuerunt in 25 caelo os suum et lingua eorum transivit in terra [4] », si vero etiam ei, qui eos procreavit, male dixerunt secundum id, quod dictum est : « Deo male dixerunt [5] », quidni tibimet male dicant? Si Iesu, ei qui errores ab hominibus aufert, errorem affinxerunt secundum id, quod archipresbyteri dixerunt : « Recordati sumus seductorem illum dixisse 30 adhuc viventem : Post tres dies resurgam [6] », quidni tete dicant

* p. 103. seductorem? Si autem in eum etiam * falsa testimonia dixerunt se-

[1] II *Reg.*, XXII, 29; Luc., XI, 36; *Apoc.*, XXI, 23. — [2] Cf. *Iudith*, IX, 16; *Ps.* XVII, 28; LXXXVIII, 11; *Prov.*, XV, 25; *Eccli.*, X, 21; Luc., I, 51; Iac., IV, 6; I Petr., V, 5. — [3] Cf. *Ps.* XI, 6; LXX, 10. — [4] *Ps.* LXXII, 7-9. — [5] *Ps.* LXXVII, 19. — [6] Matth., XXVII, 63.

cundum id, quod scriptum est[1] : « Multi testimonium falsum dixerunt adversus eum », quidni tibimet verba contumeliosa affingant ?

Idem etiam omnibus sanctis eius accidit. Iosephum[2] enim in domo hominis aegyptii calumniati sunt, ita ut in magnas miserias incideret. Neque vero Deus eum deseruit. Susannam[3] calumniati sunt. Quis tandem? Presbyteri senes *et* iudices. Neque vero Deus obtestationem precis eius neglexit. Stephanum[4] apostolum calumniati lapidibus coniectis occiderunt. Sed satis ei erat caelos suspicere : gloriam Dei vidit et Iesum Dominum a dextra Dei stantem, maxime vero, quomodo nunc in gloria est apud eum, cuius nominis causa occisus erat, Iesum.

Mirum non est, si verba in te dixerunt maligna. Nova non est res. Nondum quidem tormentis aut verberibus tentatus es[5] sicut apostoli, quos semineces traxerunt[6] et ex urbe foras eiecerunt. Nondum quidem sicut illi in carceres coniectus es. Ad extremum autem occisi sunt inde ab Abel, *homine* iusto, usque ad Zachariam, filium Barachiae[7], et usque ad martyres, qui sanguinem suum * profuderunt; non solum omnibus sanctis male dixerunt aut probra in eos mendaciaque fuderunt, quemadmodum in *sacris* litteris *scriptum* videmus, verum plurimos etiam interfecerunt. Profecto en servi[8], qui propter nomen Domini sui ignominia afficiuntur, en dominus eorum, qui servorum suorum salutis causa ignominia affectus est, Iesus.

* p. 104.

Tu legis, tu audis *haec* lacrimis per genas tuas manantibus propter ea omnia, quae in eum illi dixerunt, quorum oculos et animos malitia excaecavit; sicut enim latronem[9] tua causa eum devinxerunt, ut tu, si propter eum ligaris, ne offendaris. Contempserunt eum[10], faciem eius conspuerunt[11], vultum eius velaverunt[12], eum verberaverunt[13] *et* deriserunt[14], pugnum in os eius impegerunt[15], calamo caput eius percusserunt[16], alapam ei duxerunt[17], potum ei sitienti praebuerunt acetum[18], coronam spineam capiti eius imposuerunt[19], pedes manusque eius ligno affixerunt[20], illuserunt ei in cruce *pen-*

[1] Marc., xiv, 56. — [2] *Gen.,* xxxix, 6-20. — [3] Dan., xiii. — [4] *Act.,* vi, 8-vii, 60. — [5] Cf. *Hebr.,* xii, 4. — [6] Cf. *Act.,* xiv, 18. — [7] Cf. Matth., xxiii, 35; Luc., xi, 51. — [8] Aut : Vel *ut paucis dicam,* en servi. — [9] Cf. Matth., xxvi, 55; Luc., xxii, 52. — [10] Luc., xxiiii, 11. — [11] Matth., xxvi, 67; xxvii, 30; Marc., xiv, 65; xv, 19. — [12] Marc., xiv, 65; Luc., xxii, 64. — [13] Marc., xiv, 65; Luc., xxii, 64. — [14] Matth., xxvii, 68; Marc., xv, 20; Luc., xxii, 63; xxiii, 11. — [15] Matth., xxvi, 67; Marc., xiv, 65. — [16] Matth., xxvii, 30; Marc., xv, 19. — [17] Matth., xxvi, 67; Ioh., xviii, 22. — [18] Matth., xxvii, 48. — [19] Matth., xxvii, 29; Marc., xv, 17. — [20] Matth., xxvii, 35; Luc., xxiii, 33.

denti : « Descende, inquiunt, de ea, credemus tibi [1] ». Post omnes impietates, quas in eum dixerunt vel fecerunt, latus eius lancea transfixerunt [2].

Nonne facillimum ei erat efficere, ut terra hiaret et pessimum illum hauriret gregem [3], qui catervae canum ritu eum circumstabat [4]? Sed divinitatem potius respicit, quae multitudine in eum credentium proficit, ut tu quoque, si in fabulas incideris eorum, qui mala illo nomine in te animis moliti sunt linguis suis instar gladiorum acutis [5] — venenum autem aspidum etiam sub labiis eorum est, sicut scriptum est [6] — mala tibi inferentibus ne rependas neve id roges *, sed absolutionem iustitiae respicias et profectum incrementi et Domini gloriam, quae incedit et surgit per totum terrae *orbem* diffusa copia odoris operum bonorum omnibus aromatis iucundius olentium.

* p. 105.

Qui damnabit eos, qui ipsi, Iesu, male dixerunt, — certe quidem pernicies in eos iam irruit atque etiam irruet — is omnes damnabit iniuriam iis inferentes, qui omnibus in rebus curam suam super eum iactant [7]. Dicit enim : « Ecce venit Dominus in sanctorum angelorum milibus suis facere iudicium contra omnes et arguere omnes animas de omnibus operibus, quibus impie egerunt, et de omnibus verbis duris, quae locuti sunt contra eum peccatores impii [8] ».

Fieri potest, ut de milite, qui probant eum, dicant : « Homo est, qui de *rebus* salutaribus in luctu est et omne ludibrium scit perferre », sicut de eius rege, *qui est* Verbum caro factum propter salutem nostram [9], praedictum est : « Homo plaga *vulneratus* est et languorem sciens ferre [10] ».

Domus in arena exstructa [11], si venti in eam saevient vehementes, non poterit stare. Qui haec omniaque ex *divinis* litteris similia non respiciet, is, cum miseria in eum quoque ingruerit vel insectatio, offendetur neque vero negationem devitabit. Annon negatio ea est loco veri mendacium dicere simulationis nomine et gloriae humanae? Quid praeclarius quam Iesum profiteri? Etiamsi oculi tibi effodiantur, in resurrectione non excitabere oculis orbatus. Satis tibi sit agnosci apud angelos Dei. Quid profiteri vereris res veras tibi patefactas *et* quas *sacrae* litterae tuae ex se profectas * testen-

* p. 106.

[1] Matth., xxvii, 40, 42. — [2] Ioh., xix, 34. — [3] Cf. *Num.*, xxvi, 10. — [4] Cf. *Ps.* xxi, 17. — [5] *Ps.* lvi, 5. — [6] *Ps.* xiii, 3; *Rom.*, iii, 13. — [7] *Ps.* liv, 23 — [8] Iudae, 14 et sq. — [9] Cf. Symb. Nicaenum. — [10] Is., liii, 3-5. — [11] Cf. Matth., vii, 26 et sq.

tur? Etiamsi caput tuum praecidatur, resurges capitatus. Etiamsi singula membra tibi amputentur, non solum resurges ne minimo digito quidem manus aut pedis carens, verum resurges etiam corpus spiritale[1].

5 Si laboris animique doloris, quem tibi homines attulerunt maligni, memoriam repetes, animadverte, quid apostolus dixerit : «Non sunt condignae, inquit, passiones huius nunc temporis ad gloriam, quae revelabitur in nobis[2]».

Satis tibi sit omnes eos videre, quos propter Deum deriserunt et 10 occiderunt, imprimis insontes apostolos et prophetas, maxime autem sanctum Iohannem, cui Herodes, cum in carcerem eum detrusisset, femina pestifera eiusque filia quoque poscentibus caput demi iussit[3]. Itemque sortem Michaeae[4], qui a falso propheta colapho percussus est; iussit autem etiam rex improbus, in quem pernicies 15 cito irruit, pane eum ali miseriae prophetae et aqua miseriae satiari, quoniam verum ei dixerat. Item etiam Ieremiam[5], qui in cisternam limosam deiectus est a rege, quem Deus propter multitudinem impietatum deseruerat; fallacia enim falsorum prophetarum verba acceperat, repudiaverat vero verba sancti prophetae verissima. Ita 20 Dominus Hierosolyma tradidit et eo nomine destruxit ipso *rege* eiusque populo, qui in ea *civitate* erat, hostibus in manum tradito; in conspectu eius liberi transfixi ipsiusque oculi effossi sunt[6].

Roga Dominum gloriae Iesum, ne in pravitatem illabaris *, ne * p. 107. in ora abeas eorum, quibus numero inimicorum repositus es, prop- 25 terea quod verba dixisti sincera et opera *fecisti* vere perfecta.

35. De virginitate.

Die 21° *mensis* tybi, nocte Virginis.

Sinuthii oratio.

Profecto mihi quasi in aliqua parte regionum caelestium separata collocati videmur, si animos servamus confirmatos, nos qui in his 30 coenobiis habitamus. Quid enim nobis adversatur, nisi forte nobis ipsi adversamur? Si inimicum dicimus prave agere, curamus nos quidem quacumque ratione, ut ei impugnando vacemus. Miles enim

[1] Cf. I *Cor.*, xv, 44. — [2] *Rom.*, viii, 18. — [3] Cf. Matth., xiv, 8-11. — [4] III *Reg.*, xxii, 24-27. 34-38. — [5] Ier., xxxvii, 1-6. — [6] Ier., xxxix, 6 et sq.

ad confligendum acie adversus bellum secum gerentes expeditus est, quoniam a negotiis vitae vacat.

Porro ipse saepe dixi : « Ubi sunt messes nostrae? ubi sunt fossiones? ubi sunt universae servitutes, quarum onere multi premuntur? Haec gratia Christi et non hominis gratia est. Hoc magnum beneficium a Deo est ac non ab homine. Hic ordo caelestis est et non terrestris ».

Quantas reliquimus res propter Iesum, quas nobis universas ex hoc iam tempore non rependerit? Quot reliquimus fratres vel patres vel matres vel filios filiasque [1], quorum nobis nunc ipsum non dederit millies tantum? Qui sumus nos vel quae sunt nostrae condiciones, ut efficiat, ut homines nos agnoscant et * plus nos ament, sicuti[2] eos amamus? Quae iis beneficia tribuimus maiora, quam quae nobis tribuunt?

* p. 108.

Non puto nos recusaturos [3] sive declinaturos esse, quod res nobis dura sit, si iumentum nostrum semel vel bis et non saepe a nobis petatur. Illi vero magna sua caritate impulsi cum iumentis suis accurrunt. Et si, quae in animo habeamus, scirent, facerent ea, priusquam ipsis ea significavissemus, non solum si nihil eis diceremus, verum etiam si *eos* admoneremus : « Nolite vobis molestiam exhibere ».

Haec dixi, ut vos docerem, quae Deus benedictus *et* supremus nobis praeter nostrum meritum praestiterit. Saepenumero enim sollicitus Deo dicere soleo : « Si haec nobis fecisti, licet non possimus iram tuam non concire, quanta bona, si voluntati tuae vere oboedissemus, nobis obtingerent? » Digni igitur non sumus, in quos ea pro sua bonitate effundat. Atque etiam ea augebit. Augebit ea etiam in nobis et in omnibus, qui eum amant et operam omnibus *rebus* bonis *peragendis* assidue navant, imprimis vero virginitati, quam homo bonus Athanasius archiepiscopus satis efferre non potuit — et laudamus et honoramus et celebramus Deum, propter eius (*i. e. virginitatis*) potentiam — cum haec aliaque in epistulis [4] suis diceret : « O virginitas, imago immortalitatis et arbor vitae! O virginitas, purpura omnium purpurarum optima et vultus Dei huius immortalis! O virginitas corona gloriae et regni sceptrum! O virginitas, tibia dulcisona et proprietas incomprehensibilis! [...

[1] Cf. Matth., xix, 29. — [2] Fortasse legendum est ϵⲑϵ (= quam). — [3] ⲦⲚⲚⲀⲠⲉⲓⲑϵ = ⲦⲚⲚⲀⲀⲠⲉⲓⲑϵ. — [4] Cf. O. von Lemm, *Kopt. Miscellen*, lxvi.

36. De actis Archelai.

* Sinuthii. *p. 109.

Expedit autem etiam dicere me vobis, quid presbyter quidam civitati Sidae ascriptus a me quaesierit. Alio quidem loco [1] hac de re satis diximus. Archelaus autem ipse episcopus Carcharis Mesopotamiae cum Manem impugnaret, radicem Manichaeorum, etiam pauca dixit.

Sed eam *rem* totam dicam, sicut Dominus de ea locutus est, i. e. «Vinum, inquit, novum non funditur in utres veteres; neque vero rursus pannus a vestimento novo abscinditur, ut assuatur vestimento veteri[2]». Hoc *dicto* scribas et pharisaeos atque etiam eorum verba operaque in parabolis suis designat utres veteres et vestimenta vetera. Et iuste comparantur cum his rebus veteribus et contemptis. Quoniam in malitia inveterati erant, veram Christi Iesu doctrinam animo complecti non quivere, quam quidem ii solum complecti potuerunt, quibus «datum erat nosse mysteria regni caelorum [3]», sicut ii, qui ab initio oculis suis viderant [4] *et* ministri verbi [5] facti erant. Ingratis vero istis et indignis miseris*que* Iudaeis non concessit nosse lumen evangelii. Quam ob rem? Quia non crediderunt procreatorem suum esse Deum Deique filium, sed etiam illudebant, cum eum viderent daemonia eicientem et alia omnia illa prodigia efficientem. «Eicit daemonia, inquiunt[6], in Beelzebul» ii, quos totus Beelzebul occupabat in ipsis aestuans omni malitia. Hoc enim pacto * eos, qui male auscultant, virtutem operum suorum semper celat; qui autem bene auscultant, eos illa docere atque illis eximie delectare solet. *p. 110.

37. De labore.

Sinuthii.

Hoc autem aliud etiam decet et expedit hominem operari suis manibus. Quilibet enim se consideret, iam cognoscet — dum animum diligenter attendat — nos saepenumero, cum nihil in manibus habemus, suum quemque in modum, modo quidem digitis vel etiam aliis instrumentis litteras in terra inscribere, modo testas vel alias eiusmodi res acervare alias super alias, iterum frequenter eas diruere

[1] ... — [2] Marc., ii, 21 et sq.; Luc., v, 36 et sq. — [3] Marc., iv, 11; Luc., viii, 10. — [4] Cf. I Ioh., i, 1. — [5] Cf. Luc., i, 2. — [6] Matth., ix, 34; xii, 24; Marc., iii, 22; Luc., xi, 15.

puerulorum ludentium more, modo caput et barbam mulcere, modo vestimenta nostra contrectare et ungues et oculos et omnes huius generis res nulla necessitate impulsos, sed cogitatione inani diductos. Imprimis magistratus cuiusdam iudicis manui servos vidi folium palmae inserere; si quod comminuerat et in terram contriverat, rursus ei aliud subministrabant. Vidi autem etiam alium quendam huic similem; cum aliquam rem inspectaret, qua easdem ineptias ageret, aliam quoque manui eius inseruerunt. Haec autem est imago animi multorum *hominum* inertium, qui desides sunt in operibus salutis et vitae, cum omnibus peccatis vacent committendis et perficiendis. Videte autem etiam, quantopere suo quisque animum operi intendat, librario, qui scribit, non excepto, quia nimium quantum iis curae est ob utilitatem ex operibus captam. Haec est condicio omnium piorum, quorum *animi omni pietatis studio vacant, cum perpetuo cogitent de sua in manus Dei eiusque Christi profectione.

38. De divite stulto.

Sinuthii.

Brevis institutio mane *diei* dominici post psalterium et evangelium recitatum festo (?) quodam die *habita*, cum vulgus domum festinanter redire desideraret.

Videte, quanta stultitia hominis immisericordis quantaque stultitia eorum, qui opera manuum hominum [1] colunt, iis, quae modo ex *sacris* litteris audivimus, patefacta sit. Ex evangelio *quidem* [2]: «Homo quidam dives erat, cuius ager uberes fructus tulerat. Cogitavit secum : «Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?» Dixit : «Hoc faciam : Destruam horrea mea et maiora faciam ea et congregabo in ea universum meum frumentum et bona mea dicamque animae meae : «Anima, habes multa bona posita in multos annos; requiesce, comede, bibe, laetare». Dixit autem illi Deus : «Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Quae parasti, cuius erunt?» — Ex psalmo autem rursus [3] : «Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum». Iussu Dei ad eius filios, qui bene ei famulantur, oblectandos et exhilarandos et ad eos pudore et ignominia afficiendos, qui, quoniam ipsi vani

[1] Cf. *Ps.* cxiii, b, 4; cxxxiv, 15. — [2] Luc., xii, 16-20. — [3] *Ps.* cxiii, b, 4.

sunt, vana colunt, dixi : « Utinam deos argenteos et aureos et * * p. 112.
aëneos et ferreos invenissem, maxime statuam illam auream sexaginta cubitos altam et sex latam [1], ut eam sive eos comminuerem et darem ac distribuerem fratribus meis egentibus, viduis et orbis, non
5 quod Deus, cui quidem famulantur, eos alere non posset aut quod per christianos misericordes ulla re carerent, verum ut eos, qui deos esse eos putant, cavillarer atque ludificarer. O felices eos, qui filii lucis [2], Dei eiusque Christi Iesu, operibus suis demonstrantur! Vae autem iis, qui operibus suis tenebrae probantur! Dico omnes
10 idolorum cultores et omnes animas humanas, quibus Trinitas deest, maxime vero Iudaeos incredulos et scandala inimica Dei vivi, qui ad nos venit qui*que* iis dixit : « Moriemini in peccatis vestris[3] » quoniam ei non crediderunt. Fiat porro, ut Deus, sicut ab errore Iudaeorum incredulorum et ab omnium generum hominum, qui
15 eum ignoraverunt, errore nos servavit, nobis etiam concedat, ut bonis nostris operibus ipsum honoremus, sicuti scriptum est [4] : « Honora Deum, ut corroboreris ». Dicit [5] etiam : « Decet honorare verba gloriosa ». Quid est honorabilius, quam quidquid *sacrae* litterae nobis praecipiunt? Vel quid honorabilius iis verbis, quibus
20 discimus malum odisse et bonum amare? Nam si verum exercemus, veritatem honoravimus, contempsimus mendacium. Si autem misericordiam adhibemus, misericordiam honoravimus, contempsimus inhumanitatem. Si nos purgamus, puritatem honoravimus, contempsimus impuritatem. Si facimus pacem, pacem honoravimus *, con- * p. 113.
25 tempsimus inimicitias. Si ius et iustitiam colimus, ius et iustitiam honoravimus, contempsimus iniuriam et rapinam. Si inter nos amamus, caritatem honoravimus, contempsimus odium. Si modeste nos gerimus, modestiam honoravimus, contempsimus superbiam. Si mansuetos nos et sobrios praebemus, mansuetudinem ac sobrieta-
30 tem et dignitatem honoravimus, contempsimus ferociam et rixam ac pertinaciam. Si doctrinam complectimur, docilitatem honoravimus, contempsimus indocilitatem et contumaciam. Si facimus haec et alia omnia, omnia peccata contempsimus et pudore affecimus satanam eiusque daemones. Et propterea impius ille dentibus suis
35 fremet et tabescet [6], rumpetur autem etiam. Ruptus *ille* quidem *iam* est.

[1] Cf. Dan., iii, 1. — [2] Cf. Luc., xvi, 8. — [3] Ioh., viii, 24. — [4] Cf. *Prov.*, iii, 9 et sq. — [5] *Prov.*, xxv, 27 (LXX). — [6] *Ps.* cxi, 10.

39. De lingua.

Sinuthii.

Brevis institutio tempore demigrationis *habita*.

Cum proverbia hodie legerem, incidi in *hanc* sententiam : « Argentum electum est lingua iustorum [1] ». Dixi : Si argentum electum est lingua iustorum, lingua maxime polluta est lingua impiorum. Quid lectius vel quid sanctius est lingua [2] hominis, qui Deum ea profitetur atque etiam Deum praedicat eiusque Christum laudemque ei tribuit, porro autem ea leges eius legit ac die noctuque meditatur [3], verum autem etiam ea dicit et omnes sermones omnesque res bonas? Quis abiectior aut quis etiam lingua pollutior, quam qui truncos arboris et * lapidis fragmenta et argenti aurique segmina et reliquos quoque deos falsos colunt? Qui sunt homines etiam lingua sua pestilentiores quam ii, de quibus scriptum est [4] : « Inimici Domini mentiti sunt ei » et « Quis est mendax nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus [5] »? Dicit autem rursus in eodem volumine: « Arbor quaedam vitae est sanatio linguae, qui autem eam curat, fructibus eius satiabitur [6] ». Nonne arbor quaedam mortis est vulneratio linguae? Qui eam exercet, sterilitatibus eius satiabitur et omni genere malorum eius saturabitur. Videte, quomodo homines demigraverint *et* a nobis hodie vel his diebus discesserint. Ubi sunt omnes illae turbae? Sed hoc etiam vere bonum est et in hoc homo invenit exemplum dona in templum inferendi et panem suum famelico dandi et nudum veste tegendi et peregrinos egentes*que* caritate prosequendi. Quasnam *sacrae* litterae res, cum omnes bonae sint, non commendant? Hoc unum vos, o fratres, studium teneat, ut quemadmodum cura earum rerum, quas corpus desiderat : agrorum et hortorum, boum et ovium aliorumque omnium pecorum (?), quae Dominus Deus in terra procreavit ad usum hominum corporisque vitam, nos abripit, ita ut sollicitudines saepe nos e somno excitent et quietem ob eas reiciamus, curae etiam caelestium rerum nos magis abripiant et excitent : precationum, eleemosynarum, iudiciorum verorum, omnium bonorum cuiusque generis spiritalium. Certe quidem dicam : Non solum ii, qui propter cibum spiritalem operantur, multi sunt, cum ea curant, quae ad usum corporis perti-

* p. 114.

[1] *Prov.*, x, 20. — [2] Cf. Iac., iii, 9 et sq. — [3] Cf. *Ps.* i, 2. — [4] *Ps.* lxxx, 16. — [5] I Ioh., ii, 22. — [6] *Prov.*, xv, 4 (LXX).

nent *, curant autem etiam ea, quae ad animam pertinent, sed multi etiam sunt pigri, non solum quod neque ea, quae ad usum corporis, neque ea, quae ad animam pertinent, peragunt, *sed* probris indulgent et in carnes suas impudenter impuritatibus saeviunt. Tantum abest, ut vidua *ceteri*que omnes in prece et obsecratione et in omni bono nocte ac die perseveraverint [1], ut perseveraverimus in operibus malis. Nonne omnes res, quas *homo* dat misericors, pro anima et corpore suo dat? Quid vero est, quod is quoque, qui accipit, pro anima sua det... membra Christi servare incolumia [2]. Sicut Dominus eos, qui licet habeant non dant, condemnabit, cum mutatio et aerugo et tinea maiorem eorum partem corrumpant [3], *ita* condemnabit etiam eos, qui ea, quae accipiunt, cum pernicie accipiunt et *quidem* cum pernicie carnium suarum et sui *ipsorum*. Qui largiuntur, eos Dominus non solum probabit et fortunabit, sed decies millies tanto remunerabitur his in terris et amplius remunerabitur eo loco, quem exspectant. Scriptum est enim [4] : « Qui triticum includit, ei homines male dicunt »; qui misericordiae expers includit ac non misericordiae causa colligit, nam nisi colligit, unde misericordiam tribuet? Nonne etiam ei, qui expendit et largitur, homines benedicent, sicut in *sacris* litteris passim scriptum est? Qui colligit, triticum et ea, quae habet, claudens, ne indigenti bene faciat, claudit in se immisericordiam. Si is, qui colligit nec egeno largitur vere miser est, magis etiam vere beatus est, qui * misericordiae causa colligit. Scio, cur scriptum sit [5] : « Opes non proderunt die irae ». Hoc dicitur de eo, qui iis in misericordiam non utitur. Vis*ne* opibus tuis utilitatem afferre tempore necessitatis tuae? In misericordiam iis utere, iam totam eorum utilitatem intelleges ea hora, qua spiritum tuum reddes in manus Dei. Dedit tibi eas Iesus Christus, Deus et Dei filius...[

* p. 115. * p. 116.

40. De iis, qui e monasterio discesserunt.

Quare secundum verba sanctorum tuorum, Domine, a via tua nos abduxisti nostros*que* obdurasti animos, ut te non timerent? [6]. Magna coram te, Deus, perpetrasse me scio mala. Propterea statuisti me, quemadmodum scriptum est [7], tamquam hominem, qui procul luceat vel etiam in quem alii prospiciant, ut sagittas tuas

[1] Cf. I *Tim.*, v, 5. — [2] Totus locus corruptus videtur. — [3] Cf. Matth., vi, 19. — [4] *Prov.*, xi, 26. — [5] Cf. *Prov.*, xi, 4. — [6] Is., lxiii, 17. — [7] ....

in me conicias. Effecisti, ut sagittae pharetrae tuae renes meos transfoderent [1].

Ab initio enim, fratres, sive *coram* in conventu nostro sive in epistulis me vestri similem esse negavi, non quod apud Deum beatus essem vel quod mihi viderer vobis honestior, vos vero mihi contempti essetis — absit! improbi enim sunt, qui talia cogitant — sed hoc dico, quia Dominus — secundum id, quod scriptum est — apprehendit me *et* adduxit me in tenebras [2] gemitus et luctus et irrisionis et maestitiae et non in lucem [3] gaudii et solacii et laetitiae. Convertit in me manum suam [4] cum magno animi *mei* dolore, pro merito meo, quippe qui *coram ea peccaverim, et pro multitudine improbitatum mearum. Doloribus me affecit toto die totaque nocte, quia malis meis eum irritavi operibus inde a pueritia mea usque ad diem hodiernum.

*p. 117.

Propterea hominem vestri similem me esse negavi, sed mei ipsius ingenii sum, ut per me solus maneam animo afflictus *et* omnibus delictis meis dolens. Forsitan gratia a Domino in me veniat sicut in illum, qui vagus[5] inventus est, quoniam misericordiae eius multae sunt et gratia eius aeterna est. Et vos vestri ipsorum ingenii estis, cum in Domino gaudeatis nec paenitentia indigeatis, quoniam culpae insontes estis sicut illi nonaginta novem, qui quidem, cum iusti sint, non indigent paenitentia [6].

Quam ob rem compellere vos ad luctus et lacrimas dedecet. Vestra enim est hilaritas universa, o fratres, quoniam recogitatis utique vobiscum, quod verbum scriptum sit : « Quis gloriabitur animum se habere purum? Vel quis audebit dicere : Peccati expers sum [7]? » Vae tamen mihi, quod in eum peccavi !

Propterea contristatum est cor meum, quemadmodum scriptum est [8], quoniam Dominus iudicavit, ut dolores, secundum *sacras* litteras [9], poneret in manibus meis, et effecit, ut luctus et gemitus sagittarum instar acutarum viscera et renes meos pervaderent ad omnia peccata mea remuneranda. Pro magna mea equidem stultitia dixi : « Dominus vidit me sibi non servivisse pro ratione condicionis, in qua eram, cum parentes mei essent iusti. Ideo haec omnia animo meo immisit ».

Attamen quid me oportet alios docere, cum * praeter omnes

*p. 118.

[1] Cf. *Lam.*, III, 13. — [2] Ibid., III, 2. — [3] Ibid., III, 2. — [4] Ibid, III, 3. — [5] Cf. *Gen.*, IV, 12. — [6] Cf. Luc., XV, 7. — [7] *Prov.*, XX, 9. — [8] *Eccli.*, XXVI, 25. — [9] . . .

homines miser peccator sim et plus multis indigeam institutione? Ego vero stultus fui, quod non ab initio manum ori meo imposui; fortasse Dominus sibi alium elegisset fortem et dignum, cui alii auscultarent utpote ad modum mortuorum iusto. Ego vero peccator
5 sum, qui aliis fideles se esse cupientibus invideo.

Et nisi homo essem improbus, nonnulli seorsum in hoc coenobio in me non conquererentur *nec* dicerent : « Cur hoc loco...? » « Propterea, inquiunt, quod quascumque voces obiurgationum et quascumque exsecrationes hic edidit, eas omnes edidit propter nos ».
10 Alii vero : « Nisi amborum, aiebant, primi patris nostri, qui obdormivit, nos puderet oculorum, hic non maneremus, quia orationes, inquiunt, et leges, quas iste dicit vel constituit, omnes improbae sunt ».

Haec autem dico [1], ut illi, quoniam secum non reputaverunt,
15 sciant se patris nostri primi si filii essent, opera facturos esse, quemadmodum scriptum est [2] : « Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis. » Etenim patribus nostris fastidium movent, quicumque disciplinae eorum male parent et quicumque neglegunt ea, quae eis in domibus suis statuta et quae eis in omnibus operibus suis secun-
20 dum praecepta sanctorum constituta sunt. Quam ob rem si decet nos patrum nostrorum, qui obdormierunt, pudere et stomachum nobiscum viventibus commoventes in conventu permanere, magis etiam decet nos patrum nostrorum, qui obdormierunt, pudere et omnes inimicitias omniaque *, quae in eos, qui nunc nobiscum vivunt, * p. 119.
25 gerimus, odia devitare. Fortasse mortuos diligimus et desiderio requirimus, quoniam apud nos non versantur, ut a contumaciis et iurgiis et litibus nostris nos impediant, odimus autem e contrario eos, qui nobiscum vivunt, nec volumus eos ambulando per nos transire vel omnino nobiscum considere, quia nos ne incusemus incre-
30 pant neve litigiosi de iis, qui nos instituunt, conqueramur, ne Deus nobis irascatur neve opera nostra perdat, quemadmodum scriptum est [3]. Qui vero inter nos sapiunt et attendunt bene, sciunt, qui nunc disciplinae eorum, qui cum iis vivunt, non pareant, eosdem esse, qui mortuis non paruerint neque unquam monentibus obtemperaverint.
35 Si vere ageretur (?), etiam iis, qui nunc cum ipsis vivunt, oboedirent more eorum omnium, qui secum viventibus oboediunt sicuti parentibus nostris, qui obdormierunt et ab iis discesserunt, etiam perfec-

[1] Lege ϵⲓⲭⲱ. — [2] Cf. Ioh., viii, 39. — [3] Cf. I Ioh., iii, 8.

tius oboediverunt gratias Deo agentes et omnia, quae tranquillitatem iis in obsequio suo dabant, peragentes. Pariter se demiserant facti oboedientes usque ad mortem [1], ut Dominus ipsos plus extolleret, quoniam qui se summittit *et* monentibus se oboedit, extolletur, qui vero se effert et monentibus se non oboedit, deprimetur secundum *sacras* litteras [2]. 5

Propterea si quis hunc, qui homines moderatur, cupit percontari, cur superbos *et* litigiosos *et* praecepta Domini, quae nobis in conventibus nostris statuta sunt, respuentes non increpuerit, respondeat ei : «Deus secundum id, quod scriptum est, satis habet superbis obsi- 10
stere brachio suo excelso et manu sua potenti [3], ut maxillas eorum *, (* p. 120.) qui ei non appropinquant, attrahat frenis [4] reprehensionis doctrina *sacrarum* litterarum firmis et capistris ad ora eorum obturanda, ne omnino loquantur, ut ait apostolus [5], «his oportet ora obturare», quoniam illi contumaces dixerunt : «Falsa sunt, quae tradiderunt 15
patres nostri mortui», quemadmodum inflatis buccis dictitarunt : «Num Pachomius postquam in caelum ascendit, mandata sua deorsum tulit, ut ea audiremus et faceremus?» Illi vero, cum haec dicunt, sapientes docent se esse eos, quibus verbum, quod scriptum est [6], dicit : «Cibus illis stultis utilis non est», quoniam isti hominum osores 20
eorum, qui cum iis vivunt, verba contemnunt et patrum nostrorum, qui decesserunt, dicta despiciunt illa dilucida, quae omnibus Dei amantibus cibum praebent. Itaque illi numquam in operibus suis diriguntur secundum *sacras* litteras [7]. Et hi huiusmodi *homines* sunt, de quibus homines sapientes dicunt : «More quorundam, quos 25
Deus impugnat, ipsi quoque dicunt illum ea re, quam faciunt, secum concinere». Laetitia eorum ad extremum in luctum conversa est.

Propterea reprehensio et obiurgatio et vituperatio viscera pervadant et renes eorum, qui : «Omnia, inquiunt, in nos dicta sunt», quoniam vere ipsorum causa dicta sunt. Et gaudium et sola- 30
cium et hilaritas et laetitia in Domino viscera pervadant et renes eorum, qui : «Omnia, inquiunt, nobis dicta sunt», quoniam vere ipsorum causa dicta sunt [8].

(p. 121.) *Nam si quidam sive mares sive feminae inter nos dicent : «Reprehensiones sive obiurgationes, quas iste nobis una congregatis *vel* lit- 35
teris vel voce iactavit, omnes propter nos pronuntiavit», si vero alii,

[1] *Phil.*, II, 8. — [2] Cf. Matth., XXIII, 12. — [3] Cf. *Ps.* CXXXV, 12. — [4] *Ps.* XXXI, 9. — [5] *Tit.*, I, 11. — [6] . . . — [7] Cf. *Ps.* LXXXIX, 17. — [8] Totus locus corruptus videtur.

qui pro voluntate sua offirmata a nobis discessuri sunt, rursus dicent: «Stabimus adversum te in tribunali Iesu, quoniam ad pravi nostri animi arbitrium nos facere passus non es», si porro cum a nobis abierint et iterum, quoniam quae desideraverant non invenerunt
5 vel etiam cupiditates suas expleverunt, ad nos reverterint, ut potestatem nobiscum manendi quaerant, cumque eos non admiserimus, pro magna indocilis sui ingenii dementia etiam dicent : «Apud Deum tecum disceptabimus, quoniam nos prohibuisti in coenobium redire, ut corruptelis alios perdere pergeremus; eo enim loco, quem intra-
10 veramus, quod libebat nullo repugnante facientibus bene nobis erat», si alii sic loquentur, alii autem rursus ita quoque sentient : nonne vae huic illi ab eiusmodi hominibus, si de nomine Domini loquetur? Vae autem ei etiam magis a Deo, si, quod oportet, non dicet! Vae ei a Deo, si homines contumaces, querulos, litigiosos in
15 Domini coetibus patietur! Vae autem ei etiam ab hominibus indocilibus, pervicacibus, contumacibus, qui ab eo discedent cum animi duritie et derisione!

Si vero hic animo afflictus erit, cum aveat * stare illos, quemadmodum scriptum est, in viis suis et videre, quae sit via bona, et in
20 ea ambulare [1], ut animorum suorum inveniant puritatem et Deus, secundum *sacras* litteras [2], omnia eorum opera eligat, quia leges eius servaverunt, et ipsi quoque indociles illi in se ardescant in pugna et controversia cupientes, quemadmodum scriptum est, relinquere vias rectas [3] et vias suas sibi eligere tenebricosas, ut
25 Deus, secundum *sacras* litteras, opera eorum despiciat [4] : inter hunc et illos simul Deus diiudicabit, quoniam decebat illos, quemadmodum scriptum est[5], liberos suos eripere et huic dare, quia admodum eos diligit; illi vero huius liberos eripere voluerunt, quia vehementer eum oderunt. Quod nisi ita esset, non impugnarent
30 hunc, qui verba Domini ex *sacris* litteris et ex doctrinis eorum, qui ante nos fuerunt, sanctorum petita iis recitat; odium enim excitare solet rixam.

* p. 122.

Haec autem cum dico, vobis aperiam : Hos illos, qui a nobis discesserunt vel a nobis discedent, si ego sine causa odero, quis dilecturus
35 est? Et si ego temere infenso in eos animo ero, quis pacem cum eis constituturus est? Si propter me illi a nobis abibunt, cuius gratia apud

[1] Ier., vi, 16. — [2] . . . — [3] Cf. *Eccli.*, ii, 16. — [4] Cf. *Ps.* cxxxvii, 8. — [5] Cf. Matth., xv, 26; Marc., vii, 27.

nos remansuri sunt? Et eos si ego sine causa opprimam vel affligam, quis ab eo, qui eos affligit et opprimit, deducturus est? Satanas!
* p. 123. *Annon hi illi dicunt se mihi odio esse a meque vexari? Numquid ego sicut stultus ille sum, qui dicit : «Non est Deus»[1], vel sicut illi, qui dixerunt : «Quomodo Deus scivit aut est scientia in Excelso[2]?» 5 vel sicut illi, de quibus dictum est[3]: «Dixerunt : Non videbit Dominus nec intelleget Deus Jacob»? Quo igitur pacto hos illos nunc immerito vexabo sive affligam? Conscius mihi sum fore, ut Deus me, si eos vexavero sive afflixero, eo loco, in quem migrabimus, me vexet atque affigat. 10

Propterea, quemadmodum scriptum[4] est, «invocabo Dominum et ad Deum meum clamabo» benignum, patientem, eximie misericordem, ut mihi sicuti peccata mea a pueritia usque ad diem hodiernum *commissa* omnia condonavit, ita etiam omnes, quibus eos affeci, ignoscat iniurias, quia totus conventus et omnes, qui foris 15 ad nos veniunt, mihi testantur hominem me esse improbum, qui hos huiusmodi *homines*, qui a nobis discesserunt, vexem, cum Deo tradunt me gementes, quod eos prohibui fieri consiliarios diaboli *et* instituta perturbare a patribus nostris tradita ac legem Domini dissipare secundum *sacras* litteras : «Dereliquerunt pactum meum[5] 20 et dissipaverunt legem meam[6]».

Hoc autem fratribus meis dicere audebo verbum, quod est :
* p. 124. «Videte, quis sit homo*, qui opus, in quod incumbit, belle dispositum habere atque omni ex parte possidere nolit? Et quonam modo coram Domino peccabo, si alterum, fratrem et socium meum, sine 25 causa odero, praesertim cum praeter mutuam inter nos spem non habeamus aliam nisi forte Deum solum Dominumque nostrum Iesum Christum et opus iustum?» Si vero aliis dicam : «Qui odit fratrem suum, homicida est[7]», «qui fratrem suum odit, in tenebris est et in tenebris ambulat et nescit, quo eat, quia tenebrae obcaecaverunt 30 oculos eius[8]», et ego alterum, licet iustus sit, sine causa odero, quod tandem erit opus iustum, quod faciam? Aut quid faciam, si Dominus me interrogabit, qui eum, qui iustum oderit, scio peccare? Propterea quoad mihi conscius sum nullam in animo meo aut in manibus meis esse iniuriam in hos illos, qui : «Iniuriam, inquiunt, nobis 35 infers» vel : «Nobis male dicis» vel : «Istis similitudinibus in nos

[1] *Ps.* XIII, 1. — [2] *Ps.* LXXII, 11. — [3] *Ps.* XCIII, 7. — [4] II *Reg.*, XXII, 7; *Ps.* XVII, 7. — [5] Cf. *Deut.*, XXIX, 25. — [6] Cf. *Ps.* CXVIII, 126. — [7] I Ioh., III, 15. — [8] I Ioh., II, 11.

uteris et locutionibus reprehensionis et derisionis ambiguis, hos huiusmodi *homines*, qui non oboediunt *et* eiusmodi res pronuntiant, perinde quasi verecundiam legis Domini et institutorum, quae nobis posita sunt, a patribus nostris traditorum exuerint : ne ego quidem verebor illis persuadere omnes *sacrarum* litterarum exsecrationes fore ut in eos ingruant et ludibrio perpetuo fiant, quemadmodum scriptum est [1], et perturbatio * animique horror et luctus et gemitus et daemonum virtutes in eos dominentur eorumque servi fiant.

Quod est ex omnibus peccatis aeque magnum atque contumacia, propter quam quidem secundum *sacras* litteras omne peccatum in mundum venit [2]? Propterea vae iis, qui non oboediunt, sicut scriptum est, quia caeci sunt in viis doctrinae litterarum errantes [3] et herbae, quas Deus non plantavit; quare evellentur. Propter contumaciam dixerunt prophetae : « Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiae salvae fient [4] ». Propter contumaciam Dominus noster Iesus dixit: « Multi sunt vocati, pauci vero electi [5] ». Quam ob rem dico vobis, fratres : « Si legi Domini non oboediemus aut instituta a patribus nostris tradita non observabimus aut aures verbis oris nunc nos moderantium non praebebimus, Deum ego testor fore, ut multi e nobis sive mares sive feminae a Domino Iesu alieni fiant et locum requietis omittant ingredi, quo patres nostri iusti sunt in regno Dei patris et servatoris nostri Christi Iesu ».

Vae mihi ob omnia mea peccata, si hoc mihi acciderit, ut id, quod exspecto, pudore confusus non assequar! Et *vae nostrum cuilibet, qui stuprum faciet et pollutiones et probra et furta et mendacia et contumacias et rem quampiam malam! Vae iis, qui principatum [6] suum derelinquent et patientiam suam negabunt propter indocile suum ingenium et suam ipsorum sapientiam, ut iis in locis, quae intrarunt, animi libidines sequantur, sive ii, qui vestimentum monachicum retinent iis in locis, quibus a nobis profecti versantur animi libidines exsequentes, sive ii, qui vestimentum monachicum abiecerunt multa perpetrantes probra iis in locis, quae intrarunt ex Domini coetibus profecti, fugientes nullo insequente, quoniam Deus ab iis propter opera eorum mala recessit.

Si vero libros ab initio scriptos legetis, cum res in eis invenietis

[1] ... — [2] *Rom.*, v, 12. — [3] Cf. Matth., xv, 14. — [4] Is., x, 22; *Rom.*, ix, 27. — [5] Matth., xx, 16; xxii, 14. — [6] Cf. Iudae, 6.

singulas, quae hoc ipso tempore fiunt, tum eos, qui clam in nobis peccant sive peccabunt, tum eos, qui a nobis abierunt sive abibunt sine causa conquerentes et accusantes, tum eos, quos Deus eiecit sive eiciet propter opera eorum prava, quae fecerunt sive facient inter nos in conventibus nostris his nunc temporibus, maxime autem temporibus ultimis. 5

* p. 127. * Proinde paenitentiam agamus, o fratres, priusquam oratio, quae scripta est, nobis dicat : « Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea et sicut vigiliarium in cucumerario et sicut civitas vastata [1] ». Paenitentiam agamus, « antequam tenebrescat sol et lumen et luna 10 et stellae [2] » et antequam nigrescat species auri et pulchritudo argenti. Paenitentiam agamus, priusquam oratio, quae scripta est, nos condemnet : « Quomodo obscuratum est aurum nigrore multo et mutatum est argentum optimum [3] ! »

Beati, qui perseverabunt usque ad finem [4] ! Vae iis, qui retro se 15 vertent instar uxoris Lot [5] ! Et vae omnibus omni loco *hominibus,* quorum novissima secundum *divinas* litteras [6] erunt peiora prioribus ! Vae patribus conventus, qui soli clam universo sodalicio seorsum quietem ceperunt sociis suis, qui iis commissi sunt et una cum eis habitant, neglectis ! Dico vobis praeter morbum aliamque 20 improbitatem praesides mares vel praesides feminas esse, qui se magis recreent, quam quos moderantur. Rursus autem vobis etiam profiteor aliud non esse nefas, quod quidam homines morbo implicatos quacumque ratione contemnunt, et magnam improbitatem esse super hominibus, qui morbo correpti despiciunt et maledictis 25 * p. 128. vexant eos, qui ipsis famulantur *et* prospiciunt, * condemnant autem etiam eos, quos « patres nostros » appellant, ita ut magna probra in eos iactent et temeraria de iis suspicentur, cum dicunt : « Partium studia sunt, quae facta sunt, et patres huius conventus victum suum vestitumque magis quam nos variant », sive morbo affecti sive quieti 30 traditi valetudine integra !

Quam ob rem vae iis, qui animo falluntur inania meditantes, studentes autem multis animae suae impuritatibus, mendacio maxime fidunt credentes daemonio, quod susurrans in iis loquitur, contra vero Dominum gloriae [7] negantes Iesum, eum qui per universas 35 *sacras* litteras cum « clamore valido [8] » cum iis loquitur. Vae iis, qui

[1] Is., I, 8. — [2] *Eccl.,* XII, 2. — [3] *Lam.,* IV, 1. — [4] Cf. MATTH., X, 22 ; XXIV, 13. — [5] Cf. *Gen.,* XIX, 26. — [6] MATTH., XII, 45 ; II PETR., II, 20. — [7] I *Cor.,* II, 8. — [8] Cf. *Hebr.,* V, 7.

reddunt mala pro bonis iniuriam molientes in patres iustos, cum illudentes eos dicunt : «Plus nobis vos recreastis, quia exquisita comedistis, vilia autem nobis dedistis».

Hunc in modum isti, quos ego novi, dixerunt patribus nostris, 5 qui obdormierunt, probis hominibus, qui a nobis ad Dominum abierunt «carnem cum concupiscentiis crucifigentes»[1], quemadmodum hoc totus scit conventus, patres nostros corpora sua propter Deum propterque nos enecuisse. Itaque dignus non sum, qui eos patres meos appellem, quoniam Deus testis est huius dicti : «Exemplum 10 omnium eorum laborum sequi omnino non potui». * Isti ii *sunt*, quos * p. 129. exceperant patres nostri, qui quidem a nobis discesserunt conventui probati universo. Isti vero ipsi peccatores patribus nostris, qui obdormierunt, male dicunt, quoniam iis digni non sunt.

Et qui sint isti a principio usque nunc ingrati *et* iactantes scio. 15 Alii quidem ex istis contumacibus, sive mares sive feminae, ab initio, cum patres nostri nobiscum essent, a coetibus Dei abalienati sunt. Alii autem etiam hoc ipso tempore pro offirmata sua voluntate a nobis discesserunt. Et si alii rursus, qui conscientiam a malitia serpentis satanae puram non reddiderunt, in nobis versantur, hosce 20 nisi paenituerit, Dominum testor a coetibus patrum nostrorum alienos fore in modum eorum omnium, quos Deus sive mares sive feminas propter omnia sua peccata omniaque sua scelera ab initio usque ad hunc diem exterminavit.

Dominus iudex verax est *et* qui personam non accipiat, quemad- 25 modum scriptum est [2], nec secundum *sacras* litteras honorem a quoquam accipiat [3], ut iudicium divitis et pauperis corrumpat vel causam declinet praesidis et eorum quibus praeest iniuste vel etiam iuste.

* At quemadmodum Dominus impium et iustum interrogabit, * p. 130. sic etiam Dominus Iesus praesidem interrogabit et eos, quibus 30 praeest cum crudelitate vel etiam cum iustitia. Et si ipse illos iniuria affecerit vel etiam odio habuerit aut *si* illi ipsum odio habuerint [4] vel iniuria affecerint, inter hunc ipsum et illos alios Deus exercebit iudicium verum. Quare si ego eos, qui a nobis discesserunt, iniuria affecero aut si ego eos vere odio habuero saluti animarum eorum 35 invidus, quemadmodum isti, qui sese a nobis seiunxerunt, causas

[1] *Gal.*, v, 24. — [2] Cf. *Deut.*, x, 17; II *Par.*, xix, 7; Iob., xxxiv, 19; *Sap.*, vi, 8; *Eccli.*, xxxv, 15 et sq.; *Act.*, x, 34; *Rom.*, ii, 11; *Gal.*, ii, 6; *Eph.*, vi, 9; *Col.*, iii, 25; I Petr., i, 17. — [3] Ioh., v, 41. — [4] Lege ΝΕΤⲘⲞⲤΤⲈ.

impugnandi verbum Domini et doctrinam *sacrarum* litterarum confinxerunt — maxime *ille* homo, qui socios suos deserere vult, causam quaerit, quod ni ita est, quo pacto ab iis discedet, nisi forte seposito bono iudicio toti sodalicio male dicat, sicut scriptum est [1] : « Qui coetus non honorant, consilium neglegunt » — et si ego istos huius- 5 modi *homines*, qui a nobis abalienati sunt, vexavero aut si qui alii sive mares sive feminae, *qui* hic nobiscum *sunt*, memet iudicaverint illos odisse vel impedire, ne Deo servire eos sinam, quemadmodum

* p. 131. isti dixerunt, utinam ne me Dominus audiat, *quemadmodum scriptum [2] est, quoniam malitiam adversus socios in pectore reposui, ut 10 eos iniuste oderim. Et si isti mala mihi meditantur, ut immeritum suum in me odium effundant, *sive tantummodo* volunt sive non possunt, eos Deus eo loco, quo nunc sunt, audiat et ex omnibus rebus eripiat malis omnibusque in rebus corroboret bonis! Et si nolo sive mea voluntas non est, ut Deus iis ignoscat, de libro suo secundum 15 id, quod scriptum est, me deleat! Neque enim magis electus eram quam ille, qui hoc dixit, iustus et sanctus, cum diceret : « Nisi iis condonabis, quae peccaverunt in te et quae in me ipsum fremuerunt, dele me de tuo libro [3] ». Neque cum animi dolore solum homo Dei hoc dixit, sed vere volebat eum illis ignoscere. Sicque Dominus, ubi 20 celeriter animum convertit, ei respondit : « Ignoscam eis secundum verbum tuum ».

« Sed quae his illis eventura sint, te docebo. Profecto efficiam, ut terra os aperiat eosque hauriat, ignem deiciam in eos de caelo, ut eos comburat, serpentes in eos immittam mordaces, ut eos morte 25 consumant, humi eos prosternam et percutiam de iis viginti tria milia, ut uno die moriantur, iram furoris mei effundam super eos, cum esca adhuc in ore eorum erit [4], cupiditate animae suae deceptos,

* p. 132. * corpora omnium, qui quacumque ratione peccaverunt, in deserto prosternam, extorres a terra, quam iis promisi, agam eos, ita ut 30 nullo pacto in eam ingrediantur. » Hoc igitur modo eos de libro suo delevit secundum id, quod ab initio dixit [5] : « Qui peccaverint, eos delebo de libro meo » et auferam e conspectu meo sicut Pharaonem totumque eius exercitum [6] et Aegyptios, quos magnis percussi plagis [7], et sicut homines Sodomae et Gomorrhae [8] et sicut omnes illos 35

[1] *Prov.*, XV, 22 (LXX). — [2] . . . — [3] *Ex.*, XXXII, 32. — [4] Cf. *Ps.* LXXVII, 30 et sq. — [5] *Ex.*, XXXII, 33. — [6] Cf. *Ex.*, XIV, 23 et sq. — [7] Cf. *Ex.*, VII-XI. — [8] Cf. *Gen.*, XIX, 15-29; IUDAE, 7.

multos, quos interitu primori funditus perdidi, et sicut Cain [1], super quem exsecrationem meam effudi, et sicut angelos [2], quos ad inferos deturbavi ».

Videte, o prudentes, quemadmodum Deus omnes urbes evertit 5 improbitatibus plenas et omnes, qui peccaverant, ab initio prostravit *atque* e conspectu suo et eos, qui eum cognoverant, et eos, qui eum ignorabant, abstulit, eodem etiam modo omnes, qui in deserto [3] quacumque ratione peccaverant, prostravit, licet populus eius et filii filiaeque essent, *et* iram suam super eos effudit, ut eos exstin- 10 gueret, propterea quod increduli illi virtutes et signa et miracula omniaque opera gloriosa *et* terribilia, quae Dominus Deus in iis effecerat, * per XL annos viderant nec paenitentiam egerant. Propter id ipsum Dominus eos per XL annos odio habuit, ut ait apostolus : « Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui 15 peccaverunt, quorum quidem corpora prostrata sunt in deserto? [4] » Et iterum : « Viderunt opera mea quadraginta annis ; propter quod illis, qui prave agebant, infensus fui et dixi : Semper errant corde omnes », qui superba faciunt operaque impia, neque « ipsi cognoverunt vias meas » [5].

* p. 133.

20 Sed tamen si isti a nobis discesserunt, quod eos Domino famulari passus non sim, quemadmodum dixerunt : « Iste nos nostra vota Deo reddere passus non est », possuntne nunc eo loco, quo sunt, vota sua exsolvere? Neque peccatum in me est, quod eos non arcessivi, neque condemnatio toti coetui sancto impendet, quod contumaces 25 istos et indomitos introire, ut iterum se nobis adiungerent, prohibui, postquam nos deseruerunt, cum eum, qui eos admodum diligit, maxime sese odisse reputarent, propterea quod nullum erga eum amorem habent ; odio enim amorem eius rependerunt, quemadmodum scriptum est : « Retribuerunt mihi mala pro bonis [6] » « et 30 odium pro dilectione mea [7] ». Egressi autem e coetu Domini isti contumaces * si pro mala animi mente dicunt : « Voluntati Dei obtemperare hoc loco nos prohibuerunt » et iterum digressi ad illum locum, quo voluntatem Dei se exsequi cogitabant, tamen perversis animi illic desideriis obsequuntur, vae illis a Domino Iesu, si iudicium de 35 eis faciet verum! « Quis tandem, inquit, vos impedivit, quominus vota vestra Deo redderetis? Num in vobis etiam est ille, de quo dixi-

* p. 134.

[1] Cf. *Gen.*, IV, 10 et sq. — [2] II. PETR., II, 4. — [3] Cf. *Num.*, XIV, 36 et sq.; I *Cor.*, X, 10. — [4] *Hebr.*, III, 17 ; IUDAE, 5. — [5] *Ps.* XCIV, 9-11 ; *Hebr.*, III, 9 et sq. — [6] *Ps.* XXXIV, 12. — [7] *Ps.* CVIII, 5.

stis : «Insidiatur nobis, ut vota nostra nos persolvere prohibeat»? Num Deus unquam homini adest perverso? Aut unus unquam homo perversus, cui Deus deest, permultos opprimere potest, quorum operibus iustis Deus adest et senum et puerulorum?» Hoc autem dico his eiusmodi *hominibus*, qui *quasi* pleno ore dictitarunt : «Excedemus vel excessimus ex eo loco, quo cessimus, propter hunc illum, quia nos laboribus, qui supra nostras vires erant, impositis vehementer afflixit». Si ego vos licet iustos vexavi [1], nonne totus me coetus sanctus, cum boni sint, quibus Deus adest, a se separare poterat, quoniam vos vexavi et ab iis divelli? At homines estis insidiosi!

*p. 135. Sed si vos feroces, qui *a nobis discedetis vel discessistis, totum coetum, omnes qui doctrina *sacrarum* litterarum unanimi sunt, huic, quem odio habuistis, dicitis confidere et, cum eum quasi sibi alienum non censeant, omnibus rebus bonis consentire, scitote vos esse vere pravos, quippe qui contumacia vestra legi Dei vim inferatis more vim patri matrique inferentis. Sin vero vos indurati, qui a nobis discedetis vel discessistis, totum coetum dicitis homines iniuriosos *et* peccatores, qui cum hoc illo, qui eorum similis est, malefico consentiant, scitote vae vobis esse etiam idcirco, quod vos iustos assimulastis, quamvis ob contumaciam vestram improbi sitis, maledixistis autem illis, quamvis iis indigni sitis, cum iusti sint et «dociles Dei [2]» secundum *sacras* litteras. Sin autem vos feroces totum Domini coetum dicitis sequi hunc illum ut iniuriosum et ut nocentem, vae vobis etiam propterea, quod vos simulastis veraces, cum sitis mendaces, totum autem coetum contra asseruistis mendacem, quoniam numquam fieri potest, ut plurimi sancti et iusti homini singulari auscultent nocenti et iniurioso, quemadmodum ore vestro professi estis vestrum in hunc illum odium proferentes, qui vos amat et cuius animus malitia in vos prorsus vacat.

Quare Dominus his huiusmodi ignoscat *hominibus*, ut mihi *p. 136. quoque ignoscat! Etenim possunt * pro me precari, ut Dominus mihi ignoscat, quoniam eo loco, quo sunt, nunc sui iuris sunt neque apud eos is versatur, qui eos vexat et impedit, quominus recte agant, scilicet ego. Sicut enim illi postquam a nobis discesserunt, sui iuris facti sunt, quia iugum oboedientiae vitae a se deiecerunt, etiam paenitentia eo loco, quo sunt, eorum arbitrio relicta est, quandoquidem apud eos is non est, qui iis invidet, scilicet

[1] Lege ⲡⲉⲛⲧⲁⲓϫⲓⲧⲏⲩⲧⲛ. — [2] Ioh., vi, 45.

ego. Neque enim illi, si in coetu Domini spes iis esset praeter ipsos solos, a nobis discederent; sed quia in iis non est amor in quemquam moderatorum suorum, neque in ipsis est amor in eos, qui moderatorum suorum monitiones sequuntur; itaque illi huiusmodi
5 *homines* hinc abierunt, quia voluntas erga vere fideles iis deest, nisi forte erga alios in omnibus litibus eorum similes vel etiam eorum consanguineos.

Nobis, carissimi, praeter mutuam inter nos spem alia non est nisi solus Deus Dominusque noster Iesus. Quam ob rem nobis
10 liberum non est animo alieno inter nos discedere, sed diligemus patres nostros, qui verbo Domini nos moderantur, et diligemus eos, qui monitiones moderatorum suorum sequuntur, et diligemus eos, qui, quae doctrina *sacrarum* litterarum nobis tradita sunt, ea custodiunt, et fideles cum fidelibus una perseverabimus, omnes
15 qui alios se moderantes diligunt, sicuti etiam moderatorum in eos voluntas magna est.

*Qui fratres vel qui patres vel qui filii a fratribus vel patribus vel * p. 137.
filiis filiabusque seiungere se unquam volent, sicuti hi illi se a nobis seiunxerunt alieno animo a nobis digressi? Sed dicet aliquis :
20 «Qui fratres vel qui patres vel qui filii fratres vel patres vel filios suos oppriment, sicut hic iste, scilicet ego, illos, qui a nobis discesserunt, oppressit?» Huic dicant prudentes : «Per duos vel tres non ex contumacium istorum similibus, sed ex vere fidelibus testes ostende nobis, qua in re hic iste, scilicet ego, a nobis digressos
25 oppresserit». Et si per duos vel tres ex vere fidelibus testes mihi probaverint me eos oppressisse vel me eos impedivisse, quominus hoc loco vota sua Deo solverent, Deus mihi ignoscet ob preces fidelium, qui me ita oppressisse eos vel odisse testantur. Scio Dominum poenas repetiturum esse ab unoquoque, qui modum
30 transibit et fratrem suum, quemadmodum scriptum est [1], in negotio Domini fraudabit. Num miseri illi, si coram hominibus me se oppressisse dicunt, cum minime eos oppresserim, numquid fide vere digni sunt, cum Deo mendacium dixerint? Aut ego misellus, si apud homines me illos oppressisse negabo, quamvis eos ego
35 oppresserim, numquid ego fide dignus ero, cum Deo mendacium dixerim? Profecto multi *homines* stulti *et* male morati et vecordes multa inter se verba inverecunde et impudenter facere possunt

[1] Cf. I *Thess.*, IV, 6.

* p. 138. res proferentes commenticias. Sed cum * in conspectu Domini respondere poterunt et affirmare me ipsos oppressisse, vivent illi honorati, quoniam apud Dominum verbum verum dicere potuerunt. Et cum respondere potero atque negare in conspectu Domini me huiusmodi *homines* oppressisse, instar eorum ero, qui gratiam apud 5 Deum invenerunt; rationem enim unius reddere potui verbi, quod Dominus verum in me invenit, cum me interrogaret et de me illisque iudicaret.

Deum vobis testificor fore, ut, nisi forte per magnam misericordiam Domini Iesu omnia mea mihi peccata condonaverit, os 10 meum sane obmutescat. Si interrogabit me de peccatis meis, verbis fallacibus et mendaciis et mentis cogitationibus, quae me decipiunt, et neglegentia et pigritia et insatietate et animi caecitate et calumniis et fraudibus et impuritatibus aliisque omnibus rebus pravis, quas in conspectu Domini sciens et inscius perpetravi, de his 15 aliisque multis si Dominus me interrogabit, os meum obmutescet *eo* die, quo omne os, sicut scriptum est, obmutescet. Nec omnino sane rationem apud Deum reddere potero de ullo verbo aut de ulla re ex iis, quas peregi in omnibus meis improbitatibus.

Sed dico vobis : De his duobus verbis audebo praesentibus 20 fratribus meis* vere fidelibus et Domino inspectante dicere me rationem redditurum, quae sunt : Neque malitia neque obtrectatio neque odium neque omnino iniustitia adversus illos, qui se a * p. 139. me oppressos esse aiunt, in animo meo est * atque universam meam virtutem cum opera patrum nostrorum i. e. conventus nostri exer- 25 cui. Neque vos animo celavi verbum aut rem salutarem.

De ignotis autem porro *peccatis* meis — fortasse enim aliquos vestrum inscius offendi — dixi vobis in epistulis saepeque obtestatus sum vos omnes, cum a maximo usque ad minimum congregati essemus, dato vobis iure iurando cum animi dolore : « Si quos 30 vestrum, aiebam, ego offendi, significent mihi, ut sciam ». Non autem solum hoc ex vobis quaesivi; sed saepenumero vos etiam obtestatus sum : « Si vestrum aliqui sive maiores sive minores natu vere sciunt me quospiam prudentem vel imprudentem iniuria affecisse, indicate mihi, tum remunerabor eos et obsecrabo, ut mihi ignoscant, 35 quod eos immerito vexavi ».

Profecto si qui sunt in vobis, qui fremant *et* me iis intulisse iniuriam dicant nec iidem testibus usi duobus vel tribus hominibus iustis aut praesentibus omnibus fratribus Dei metuentibus me

commonefaciant, eiusmodi sibi soli peccant. Et vos omnes, carissimi, quicumque cum legibus Domini concordatis sive mares sive feminae sive patres nostri sancti, qui in nobis estis, senes sive omnes a maximo usque ad minimum natu fratres fideles, si vere scitis me
5 quibusdam vestrum sive maribus sive feminis iniuriam attulisse vel eos immerito vexasse vel odisse nec me commonetis, in conspectu Domini peccatis. *Ego enim ex toto animo totaque virtute *p. 140.
exopto, ut omnes immunes sitis a vero Dei iudicio, quo de omnibus totius orbis peccatoribus iudicabit. Vos vero magnam poenam
10 gravemque, quam die illo sustinere non potero, mihi infertis propterea, quod dicere mihi omisistis iniuriam me attulisse illis, qui : «Vexasti nos, inquiunt, et magno cum odio extrudes vel extrusisti nos e conventu».

Hoc igitur modo a nobis discesserunt *et* manibus in caelum sublatis
15 dixerunt : «Stabimus adversus te in tribunali Dei et illic tecum litigabimus, quod nos prohibuisti leges nobis ponere pro animis nostris tenebricosis *et* indocilibus et corrupta nostra ipsorum prudentia et neglegere legem Domini priscorumque patrum nostrorum praecepta», de quibus quidem illi male morati : «Num
20 in caelum, inquiunt, ascenderunt *et* verba sua deorsum detulerunt, ut ea audiremus?»

Propter id ipsum verbum *illud,* quod homines Dei dixerunt, istos insipientes e coenobiis patrum nostrorum subsecutum est, quod est : «Praecepta patris nostri, si nos ad vitam deducunt, secte-
25 mur cum animis ingenuis et culpa vacuis. Porro si voluntas mentis nostrae in nobis recta est, ad *eum* locum, quo voluntatem mentis nostrae inveniemus, ingenue nos conferamus».

Numquid ulla res aut ullum verbum vobis, fratres, latet, quae vos celaverim de iis, qui e coenobiis Dei abierunt vel a nobis eiecti
30 sunt, ut *hoc* animum alicuius vestrum subeat : «Fortasse seorsum eos iniuria vere affecit»?

* Hunc autem, qui superiore anno a nobis discessit manui Dei nos *p. 141.
tradens, omnes scitis quibus beneficiis remunerati simus pro universis contumeliis, quibus me operuerat ad compensandam contume-
35 liam, qua Deum cunctis peccatis meis affeceram.

Porro autem quem veste monastica spoliavimus et filio et uxore et filia repente e conventibus patrum nostrorum eiectis, huius totam novistis pietatem fictam et superbiam et astutias et mendacia omniaque etiam opera prava. Propter id ipsum furore et ira divi-

nitus indita impulsus ei dixi : «Si *tu,* simulator, ut monachus progressus facis, omnia tua verba iuraque iuranda vera sunt, mea autem mendacia». Et qui scire volent, si quaerent, arborem illam cum ramis suis reperient evulsam e locis, quibus radices agere cogitaverat, et in solum translatam salsum et asperum, unde ante 5 exempta erat; et ita factus est ibi instar canis, qui revertitur ad vomitum suum [1] et odiosus est.

Illum autem porro, qui hoc ipso tempore a nobis discessit verbum Dei irrisu cavillans *et* me incusans : «Si os, inquit, aperis ad nomen Domini e *sacris* litteris annuntiandum, parabolis mihi 10 conviciaris», qua ego re afflixi? Quibuscumque occurret, dicet : «Laboribus vires meas excedentibus vehementer me cruciavit p. 142. vota*que* mea Deo solvere prohibuit» et «idem me vi e *conventu eradicavit», quamvis non ego eum eradicaverim, verum Iesus e coetu suo eum eradicaverit; ipse enim scit, quanta iste contumelia 15 patres nostros iustos, qui obdormierunt, affecerit, maxime vero quanta mala in rixa quadam intulerit patri nostro seni sancto, qui quidem haud dudum ad Deum migravit maerore, sicut omnes scimus, per eum confectus. Dico vobis eos animo meo saepe cum fide testificari malitiam istius *hominis* hoc ipso tempore a me in ipsum 20 converti, quoniam patres meos ab initio irritavit, ita ut esset Semei [2] instar, qui quidem lutum coniecit in regem iustum; quapropter impium istum tradidit filio suo sancto, qui iusto ei iudicio poenam irrogaret [3], quod ei insultaverat, qui non meruerat. Haec quoque nunc est condicio huius et aliorum, qui patribus nostris 25 conviciati sunt mortuis eo tempore, quo cum iis erant, atque in nos ipsos etiam perniciem machinantur mendacia nunc proferentes : «Iste, inquiunt, nos Deum colere prohibuit», quemadmodum ille dixit. Si ego igitur istum impediam, quominus vota sua Deo persolvat, quisnam erit, qui eum ad id impellat? Maxime vero *tum* super- 30 biam suam patefecit, cum nobis in domo Dei, qui noster est conveniendi locus, sedentibus homines graves *et* iustos ad eum noctu miseram, ut *ei* nuntiarem : «Veni et fratribus praesentibus mihi ostende, qua ego te re afflixerim». Neque tamen nos aditu dignos duxit; nos nimirum peccatores sumus, ipse vero sanctus. Neque 35 ceteros, qui ad eum accesserant, dignos iudicavit, quibus ullum

[1] *Prov.*, XXVI, 11; II PETR., II, 22. — [2] II *Reg.*, XVI, 5 et sq. — [3] III *Reg.*, II, 8 et sq.

responsum daret pacatum, *quoniam praeter omnes homines iustus est. Ita verbis suis improbis : «Unusquisque vestrum, inquit, a me recedat! Non veniam ad eum, qui me oppressit», ita ut iste similis esset eorum, ad quos Moyses misit : «Venite, inquit[1], ad me, ut videam, qua re vos afflixerim»; neque illi venerunt, dum Deus vivos eos ira accensus ad inferos detrusit. * p. 143.

Ceteros autem omnes, qui pro sua superbia a nobis discesserunt sibi ipsis confisi, eosque omnes, quos Deus ab initio usque ad hunc diem propter peccata sua e nobis submovit, universi scitis propter opera sua mala a nobis fuisse abalienatos.

Haec autem dico, ut patres nostros iustos totumque sanctum conventum Domini nostri Iesu et mares et feminas sciatis esse liberos a damnatione eorum, qui a nobis abierunt sive abibunt. Sanguis eorum veniet super ipsorum capita eorumque condemnatio convertetur in ipsorum vertices. Isti enim animis contaminati malitiosis me dicunt sibi iniuriam intulisse vel sibi infestum esse vel sibi obstare, quominus rem Dei gerant.

Num princeps ego sum gentium vos a Deo desciscere cogens et simulacris hostias offerre ligneis et lapideis? Aut sacerdos Baalis sum docens vos re Domini relicta eos colere, qui auribus[2] ad audiendum carent, et eos, qui pedibus carent, adorare? Num in vos regno ad arbitrium vos tractans principum more gentium, qui dominantur in eos, qui sub eorum potestate sunt, *et* iis utuntur servis, quemadmodum *scriptum est[3]? Qua in re vos, isti male morati, mihi servi estis, ut vos affligam, quod mihi non oboedivistis aut quod mihi non obtemperavistis? Numquid in vos dominor cogens vos ad saxa et ligna secanda et lateres fingendos et domos urbesque mihi aedificandas vel ad demetendos meos agros, quos ut sationis tempore obsereretis *semine* vos adegi, vel ad fundorum, quos mihi consevistis, fructus mihi colligendos vel *ad* oves et boves, quos mihi mercedem vestram deneganti alitis, curandos mihique pascendos? Aut die noctuque servi mihi statis ad omnia officia praestanda, in quibuscumque vos mihi constituo ministros? Quod est peccatum vel quae est iniuria, qua ego vos affeci frementes et litigiosos, nisi forte magna vos vi castigavi, ut simultatem et controversiam et odium et rixam et impuritatem et furtum et mendacium et obtrectationem et omnem astutiam omnemque rem malam depo- * p. 144.

[1] Cf. *Num.*, XVI, 12 (?). — [2] Cf. *Ps.* CXV, 6 et sq. — [3] Cf. MATTH., XX, 25.

neretis *atque* caritatem et pacem et veritatem et puritatem et omnem humilitatem omnemque rem bonam sectaremini?

Ecce haec aliaque multa peccata vel iniuriae, quibus illos affeci, qui propter memet ipsum : «Cedemus, inquiunt, hoc loco», quod pro mea iniquitate eos affligo. Nonne hi nunc illi sunt, qui se propter me hoc loco cessuros esse dicent? Ecquid iis parum est, si Deus iis ignoscat, quod meum ipsius animum saepe ab *hoc* loco alienum reddiderunt? *Etenim sui potentes facti me defugerunt, qui eos tyranni instar opprimo, *et* abierunt, quo voluerant. Ego vero mei iuris non sum, ut defugere possim eos, qui me affligunt contumacia sua aliisque rebus omnibus malis, quas isti perpetrant. Vobis, fratres, dico : «Sicut quivis, qui talis est, dicit... [...

(desunt duae paginae)

...] Si oneris instar vos gravavi, nolite taedio vinci. Non morabor, quin a vobis discedam. Neque fieri potest, ut magna ab uno festinanter ad Deum abeat multitudo; sed illud tamen necesse est, unus a multis festinanter ad Deum abeat.

Saepenumero de his illis iratus dixi : «Si in vos, fratres, iustus sim, illud oportebit verbum efficiatur, quod est : Attende tibi et doctrina illis insta. Hoc enim faciens te salvum facies et eos, qui te audiunt [1]».

Et de his illis ira incitatus saepe dixi : «Si iusti *vos* estis, iustus *ego* in vos ero; si vero *vos* improbi estis, ipse improbior *ego* in vos ero, quoniam equidem cottidie malus sum, quemadmodum hi illi me perhibent violentum».

Saepenumero de illis obiurgatione plenus pro duro animo meo dixi : «Deus et universorum Domine Iesu, animi dolore pressus tota mea virtute te obsecro : Si per te in hoc coenobio me vis comprehendere, ne feceris, ut nunc ipsum moriar, * neve cito me ab hoc loco alienaveris, donec te, Deus, videam castigantem superbos illos, qui de carnibus leonis, satanae, comedunt et de sanguinibus eius bibunt, quae sunt malitiae, rixae, invidiae, odia, contumaciae, pervicaciae, impuritates, furta, mendacia, fraudes, magis vero superbiae, iactantiae, cetera mala omnia.

Saepenumero humi stratus de illis pronus dixi : «Deus, Deus, toto animo omnibusque studiis meis te obsecro : Si opprimo ego eos, qui meum intra me animum immerito affligunt, vel si vere,

[1] I *Tim.*, IV, 16.

quemadmodum audio, ego eos odi vel iis invideo, omnis animi dolor omnisque calamitas et ignominia omnis in me irruant! Haec enim commereo, quod meos tantum abest ut amem sicuti me, ut contra summe oderim. Si vero nihil eis mali intuli, quandoquidem tu
5 omnia verba mea novisti, maerore et gemitu et animi dolore et angustiis calamitatis hos illos exercebis quiete destitutos. Nec tamen, Domine, in furore tuo, quemadmodum scriptum est [1], ne nos ira tua conficias, neque mea causa, quod mala in me moliti sunt. Etenim tibi, Domine, vere nequissimus sum, quoniam mihimet
10 ipsi omnibus peccatis damnum attuli. At in hos istiusmodi *homines* me peccasse non spero, quandoquidem tu cor meum et renes meos probas [2].

Saepe enim, cum conventum ingredior, propter illos instar hominis sum, in quem iactae sunt ab hominibus inimicis sagittae,
15 si animi de his istiusmodi *hominibus* dolorem recordor, * non quo eos oderim — absit! — sed potius quia de iis animi angor, cum Deum sciam iis iratum neque probare id, quod pro sua superbia et vanitate et contumacia et falsa sapientia faciunt, et cetera eorum opera mala omnia, quae pro sua discordia et murmuratione in
20 moderatores suos perpetrant, quoniam *sacris* litteris numquam instituti sunt.

* p. 147.

Saepenumero propter eos acerbe cum animo meo cogitavi cibum meum seorsum sumere disiunctus a toto coetu velut inimicus et meis rebus tamquam peregrinus intendens. Rursus autem me-
25 cum ipse etiam considerabam, hacne quoque re his istiusmodi *hominibus* iterum offendiculo essem. Magis vero omnes fratres nolebam contristare fideles, quos scirem vehementi animi dolore afflictos fore, cum probi homines sint *et* misericordes.

Ob illorum maerorem saepe verbum consolatorium vel precarium
30 in eos proferre non potuimus, qui omni salute omnique solacio digni erant. Quo enim tempore aut casu aut die intus in nostro conventu delectati consedimus his istiusmodi *hominibus* verbum Dei irritantibus, dum maledicta gravia et ampla dedecora et magnas contumelias propter indocilitatem contumacium nobis inferret? Itaque audien-
35 tibus fratribus omnibus iratus dictitavi : «Non videmus aliam rationem nisi horum istiusmodi *hominum* a fratribus sanctis separationem, quando doctrinam divinam propositum sumus», quemad-

[1] *Ps.* VI, 2 ; XXXVII, 2. — [2] Cf. IER., XI, 20.

148. modum apostolus fecit, cum quidam obstinati * tum animi *homines* repugnassent et impia propalam coram vulgo dixissent. Quam ob rem istos incredulos summovit sanctus apostolus et fratres ab eis separavit et hoc modo ad dignos, qui audirent, verba sua convertit. His vero Dei inimicis, cum recusassent, quoniam indigni erant, 5 nullum verbum fecit praecepti Domini memor : « Nolite dare sanctum canibus [1] ». Et haec et alia his similia illis dicit : « Sanguis vester super capita vestra [2] ! »

Saepe enim numero dimidium noctis usque ad tempus matutinum et dimidium diei usque ad meridiem atque totum diem consump- 10 simus hortando et vituperando, obsecrando *et* consolando et bona precando, obiurgando et altercando, voces fundendo infestas et verba proferendo pacata, feroces, rursus autem mansueti, moderati, patientes, ad iram prompti, rursus autem in tumultu et ira timidi, lacrimis flentes oborientibus, rursus autem subridentes cum gaudio 15 *et* timore Domini, cum nos ob risum vituperandos sciremus, quoniam risum nostrum convenit in luctum converti [3], quemadmodum scriptum est, propter peccata nostra multa, rursus autem tristes [4], quemadmodum scriptum est, iterum autem gaudentes in Domino secundum *sacras* litteras [5], perseveranter sedendo in coetu et huius- 20 modi verba proferendo : « Ubi sunt amici nostri externi, qui nos invisunt *et* angelos appellant? Vident omnia nostra flagitia et * p. 149. astutias omniaque opera nostra prava et turpiter nos vident *agere simultatibus ob animos nostros superbos et indociles inter nos *exercitis*. Non sequimur quod scriptum est verbum [6] : « Quae pacis 25 sunt, sectemur et quae aedificationis sunt in invicem ». Verba dura proferebamus et acerba, pronuntiabamus autem etiam verba blanda et levia. Violenter castigabamus, ut debitor alteri omnem culpam condonaret et aegre se ei submitteret, non sua voluntate, sed necessitate *coactus*. Baculis percutiebamus et manibus nostris ira 30 incitati in eum, cuius animus superbia exsultabat. Iracundia inflammabamur divinitus *indita* in eos, quos sibi inimicus instar Iudaeorum vinculis colligaverat. Aegre ferebamus et dolebamus, quod alii, qui exspectabant, nobis instabant, ut secum de Deo colloqueremur. Porro autem huiusmodi utebamur verbis : « Ubi sunt, qui peccatores 35 vocantur, quales oculis nostris videmus prope nos sedentes *et*

[1] Matth., vii, 6. — [2] *Act.*, xviii, 6. — [3] Iac., iv, 9. — [4] II *Cor.*, vi, 10. — [5] Ibid. — [6] *Rom.*, xiv, 19.

lacrimis defluentibus paenitentiam agentes? Veniant et nos conspuant, quod iustos nos iactamus, quamvis impii simus, quoniam de melle comedimus, quod stillat de labris meretricis, improbitatis ».

Haec autem verba et haec opera aliaque multa faciebamus et dicebamus eo consilio, ut istis dementibus persuaderemus; neque persuadere iis poteramus, ut ab omnibus malis se expedirent Deoque se reconciliarent et omnibus a se inimicitiis remotis pacem cum sociis facerent. Et ita prompte surgebamus et hos istiusmodi * *homines* repudiatos Deo tradebamus, ut deliberaret et constitueret ira furoris sui actus poenas ab eis repetere. [* p. 150.]

Saepenumero ob animi de istis dolorem convenire nequibam, qui nos invisebant, peregrinos. Et nisi Deus propitius esset, ut patres nostros senes, qui nunc nobiscum sunt, nanciscerer, qui a me pro sua caritate mitterentur, ut eos convenirent *et* omnibus rebus sibi conciliarent, multi profecto in me offensi essent, ac si contemptor essem, licet nihil huiusmodi in me sit, sed magis eos videre cupiam, quam illi me indignum videre desiderant.

Saepenumero cum a consessu peregrinorum, qui ad nos venerunt, surgo et ab iis in conventum venio de his istiusmodi *hominibus* recordatus, animus meus dolore perturbatur instar *feminae* doloribus vexatae, quae paritura est, cum ob peregrinos, qui nos foris invisunt, oporteat nos venire de ipsis utpote rudibus sollicitos et in conventum intrare de istis laetantes. Deum quamquam cognoverunt, non honoraverunt ut Deum, verum vanis sicut egomet ipse indulserunt cogitationibus et animi eorum indociles obcaecati sunt; licet dicant : « Sapientes sumus », omnibus hominibus stultis et stolidis stultiores facti sunt [1]. Maxime vero quam stulti erunt iustis, quos novimus, sociis nostris externis, qui Dei causa nos invisunt, quia eos diligimus sicut ipsi quoque nos diligunt, decies tanto plus quam ii, qui dicunt se nobis odio esse, ipsi autem nos oderunt.

Inter illos, qui a nobis discesserunt, nonnulli ii quidem sunt, * in quorum animis nec odium residet neque malignitas in patres nostros, qui obdormierunt, aut in nos, sed propter infirmitatem suam — peccatum enim eos superavit — a conventu abalienati sunt. Propterea dico vobis : « Si eo loco, ubi sunt, paenitentiam egerint, Deus iis facilius ignoscet quam istis, qui patres nostros, qui obdormierunt, spreverunt et contristaverunt [... [* p. 151.]

[1] Cf. *Rom.*, I, 21 et sq.

41. De confessione peccatorum.

...]...heredes sunt vitae aeternae; «filii autem regni [1]» in sede inferorum puniuntur.

Vae impiis, qui decesserunt vel decedent, quemadmodum scriptum est, perseverantes in malitia sua [2]! O felices iustos, qui decesserunt vel decedent in veritate sua, continentes, sano adhaerentes 5 verbo et doctrinae, omnem humilitatem sectantes et mansuetudinem et patientiam, omnibus malitiae et pravitatis et perversae animi astutiae vinculis soluti et malo consilio satanaeque vinculis ac vocibus querulis expediti, diaboli relaxati nequitiis, bene agere docti, induti utpote Dei electi affectibus misericordiae et benigni- 10 tatis, omnem sociis condonantes culpam, omne malum detestantes, omne bonum sectantes!

Talia et similia verbum scriptum de iis dicit : «Pars Domini facta * p. 152. est in populo suo Iacob; territorium hereditatis suae * Israel [3]». Et de his *sacrae* litterae omni tempore ab initio usque ad hunc 15 diem dicunt : «Iustorum semitae instar lucis splendent [4]; incedunt[...

(*lacuna*)

...] Vae nobis, si verbum scriptum aliquibus nostrum : «Moriemini, inquit, in impuritatibus vestris et furtis et mendaciis et 20 contumaciis et obstinationibus peccatisque omnibus [5]!»

Vae nobis, si verbum scriptum aliquibus nostrum : «Dimisi eos, inquit, secundum desideria cordis eorum; ibunt in operibus suis malis [6]!»

Vae nobis, si verbum scriptum aliquibus nostrum dicit : «Saepe 25 liberavit eos ex necessitatibus suis, ipsi autem exacerbaverunt eum consiliis suis [7]» vel : «Irritaverunt ascendentes in Mare rubrum [8]» vel : «Murmuraverunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini, elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto *et* ut deiceret semen eorum in nationibus et disper- 30 geret eos in regionibus [9]» vel : «Irritaverunt eum ad aquas contradictionis [10], tradidit eos in manus hostis *et* dominati sunt eorum, qui oderunt eos, *et* tribulaverunt eos inimici eorum [11]».

[1] Matth., viii, 12. — [2] I *Reg.*, xii, 25. — [3] *Deut.*, xxxii, 9. — [4] *Prov.*, iv, 18. — [5] Cf. Ioh., viii, 24. — [6] *Ps.* lxxx, 13. — [7] *Ps.* cv, 43. — [8] *Ps.* cv, 7. — [9] *Ps.* cv, 25 et sq.; *Num.*, xiv, 32. — [10] *Ps.* cv, 32. — [11] *Ps.* cv, 41 et sq.

Haec autem ceteraque similia, quae scripta sunt omnia in *sacris* litteris, per Deum et Dominum Iesum maleficis illata sunt et irruerunt in peccatores per Deum et Dominum nostrum Iesum et angelos eius sanctos.

5 Propterea vae iis, qui sive mares sive feminae in nobis fient impii! Impii sunt, qui patrum nostrorum *repudiant mandata *p. 153. et contemnunt docentes se timorem eius, qui de praeceptoribus iudicabit deque discipulis, i. e. Dei; qui verbum Domini repudiant, qui occulte socios suos oderunt; cum dicant : «Amamus eos», 10 potius eos oderunt et animis suis astutiae plenis inimici iis sunt; gloriantur : «Deum amamus», contra autem socium oderunt, quoniam non bene verbo, quod scriptum est, attenderunt : «Si non diligis fratrem tuum, quem vides, Deum, quem numquam vidisti, quomodo diliges [1]?» Ergo isti diligunt Deum, quem non videant 15 facie ad faciem, ut ab eo, quod in ipsorum animis residet, in socios odio aliisque facinoribus malis omnibus eos arceat? Contra autem fratrem suum, quem vident, oderunt, quoniam ab animi in socios suos odio ceterisque facinoribus malis omnibus eos arcet, maxime vero a contumacia et obstinatione et controversia, quae ortae alios 20 everterunt. Mirum non est secundum *sacras* litteras, si quis dicit : «Diligo Deum», quem non videt, odit autem fratrem suum, quem videt, verum summe mirum est, si quis diligit fratrem suum, quem videt, et Deum, quem non videt, non diligit, ut verbum, quod scriptum est, beatum eum praedicet : «Hunc cum non videritis, diligitis 25 et in hunc nunc quoque, non videntes, creditis tamen, exsultantes laetitia inenarrabili et glorificata [2]».

Verbum, quod scriptum est, si condemnat militantes, qui implicant se negotiis saecularibus [3], quam severe nos condemnabit, si odio et superbiae in *alterum implicamur ceterisque rebus malis p. 154. 30 omnibus ! [[4]]

Si rem turpem et foedam Deus olim patri Abrahamo mandavit, ut carnem praeputii sui circumcideret [5], et animam eius, qui carnem praeputii illo tempore non circumcidisset, Dominus Deus iussit de populo suo deleri [6], quanto magis is de nobis, qui sive mas sive 35 femina praeputium cordis sui odii in alterum simultatisque pleni non circumciderit, de populo suo delendus erit?

[1] I Ioh., iv, 20. — [2] I Petr., i, 8. — [3] II *Tim.*, ii, 4. — [4] Iustitiae (quae vox videtur delenda). — [5] Cf. *Gen.*, xvii, 9 et sq. — [6] Cf. *Gen.*, xvii, 14.

Quare vae iis de nobis, qui socios suos oderint iniuste, maxime vero praeceptores suos!

Vae iis de nobis, qui socios libidinibus petunt carnalibus!

Et vae iis, qui calumniae sociorum et susurrus omnisque rei malae consortes sunt locumque dant satanae, ut ipsorum opera *etiam* in alios dominetur, ipsorum loquacitate, cum, quae eos prorsus dedecent, loquuntur, quae dicere eos oportet, celant, inimicitias ac perturbationes in universo conventu excitant! Omnes exsecrationes obliti sunt quacunque ratione in epistulis scriptas.

Quare vae iis, qui verbum vel rem malam deferent, quae in nobis facta non est! O felices eos, qui verbum vel rem deferent malam, quae in nobis facta est! Qui autem ex hodierno die verbum vel rem malam in nobis deferent neque verbum * vel rem, quam diximus, probabunt[1], illi vulpes, quae demoliuntur vineas[2], a verbo divino appellabuntur, quoniam homines sunt, qui animos aliorum demoliuntur, ita ut dictum *illud,* quod scriptum est, in iis perficiatur : « Huiusmodi *homines* turbas efficere solent in civitatibus et conventibus[3]; quare repente consurget perditio eorum[4] ».

Qui vero verbum vel rem malam, quam sciunt in nobis, ex hodierno die non deferent, a verbo, quod scriptum est, vocabuntur « partes vulpium[5] », quoniam proper dissimulationem pars daemoniorum facti sunt sicut falsi prophetae, qui improbitates obtegebant fraudes atque impietates committentium.

Qui alios in nobis, sive mares sive feminae[6], sectabuntur desideriis carnis et amicitiis carnalibus, a propheta principes flagitii et impuritatis omnisque rei malae vocabuntur, quemadmodum scriptum est[7] : « Princeps peccati est haec, filia Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel ». Qui vero in nobis sive mares sive feminae cum sociis coniuncti desideriis carnalibus deprehendentur, omnibus quas agunt rebus exsecrati erunt. Si *vero* ex inscientia laborabunt, ab omnibus, quae scriptae sunt, exsecrationibus immunes erunt.

Qui homines in nobis celabunt sive mares sive feminas inter se desideriis consociatos * carnalibus, omnibus suis operibus exsecrati erunt. Si vero ex inscientia laborabunt, ab omnibus, quae scriptae sunt, exsecrationibus erunt immunes.

[1] Lege ⲚⲤⲈⲦⲰⲦⲀϨⲞ. — [2] Cf. *Cant.*, II, 15. — [3] . . . — [4] *Prov.*, XXIV, 22. — [5] Cf. *Ps.* LXII, 11. — [6] Vel : feminas. — [7] Mich., I, 13.

Qui verbum deferent sive rem malam, quae in nobis facta non est, vel qui verbum occultabunt sive rem malam, quam vere sciunt in nobis factam, hi et illi alii sive mares sive feminae omnibus suis operibus exsecrati erunt. Si vero ex inscientia laborabunt, ab
5 omnibus, quae scriptae sunt, exsecrationibus erunt immunes.

Qui nostrum coram sociis suis vociferantes in senem dicent : «Exsecratus es» vel : «diabolus sive daemonium te obsidet» vel : «radicem tuam ex hoc loco evellent», hi horumque similes, qui contumelias in socios intorquebunt, ipsi omnibus operibus suis
10 exsecrati erunt. Si vero ex inscientia laborabunt, ab omnibus, quae scriptae sunt, exsecrationibus erunt immunes.

Qui autem sive mares sive feminae in nobis videbunt aliquam rem graviter flagitiosam nonnullisque aperient et nonnulli *hi* aperient aliis et *hi* alii multis e coetu aperient, ita ut coetus universus in
15 tumultum et perturbationem coniciatur, neque me ipsum, ut sciam, certiorem fecerint, omnibus suis operibus exsecrati erunt. Si vero ex inscientia laborabunt, ab omnibus, quae scriptae sunt, exsecrationibus erunt immunes.

Nonne mirum est, ut hi tres coetus *pleni sint rerum, quae * p. 157.
20 factae non sunt aut etiam quae factae *quidem* sunt, quas tamen neque ego scio neque senex (*moderator*) neque senes, qui in nobis sunt, Dei metuentes neque patres, qui in omnibus domibus qui*que* administratores sunt, aliique omnes, qui post ipsos venerunt? Verum gratia Deo habenda est, qui omnem improbitatem omnemque
25 fraudem in lucem profert. Quare quicumque sive mares sive feminae aliquod grave peccatum inde ab impuritate usque ad furtum et mendacium in nobis videbunt nec mihi, *sive* quia pudore prohibiti fuerint, sicut quibusdam *accidere* audivi, sive etiam quia me, ut doceant, convenire nequierint, indicare poterunt, ex nostra parte
30 indicabunt seni (*moderatori*) et ex vestra parte indicabunt anui (*moderatrici*) aut ex nostra parte indicabunt senibus Dei metuentibus vel ex vestra parte indicabunt anibus Dei metuentibus aut ex nostra parte indicabunt patribus suis, qui in eadem domo habitantes eorum saluti prospiciunt, vel ex vestra parte indicabunt matribus
35 suis, quae in eadem domo habitantes earum saluti prospiciunt. Et patres, qui in domibus sunt ex nostra parte, vel senes, qui in nobis sunt ex nostra parte, si hac ratione comprerint et res in nobis malas vere certo scient ex nostra parte, mihi denuntiabunt vel seni (*moderatori*) indicabunt. Et matres domorum, quae ex

vestra ipsarum parte sunt vel quae in vobis sunt anus ex vestra parte, si hac ratione compererint et res in nobis malas vere certo scient, indicabunt anui (*moderatrici*). Et illa ipsa anus (*moderatrix*) matres domorum anusque, quae decem vel viginti mulieres erunt, *p. 158. arcesset et res illas malas *testabuntur. Hoc igitur modo anus 5 (*moderatrix*) scientibus omnibus testibus ad senem (*moderatorem*) mittet, ut ille idem senex (*moderator*) id, quod ei indicaverint ex nostra parte, et id, quod ei miseritis ex vestra parte, omnia mihi, quo tempore otiabor, tranquille renuntiet.

Hoc igitur modo, si concordes inter nos erimus, magnas divinitus 10 poenas evitabimus beneficiaque accipiemus et satanam superabimus omniaque eiusdem opera prava. Si vero sibi quisque nostrum ipsi prudens erit atque ita non faciemus, magna a Deo supplicia magnaeque nobis a Domino nostro Iesu irrogabuntur calamitates atque peccatum in nos dominabitur nostrique inimici diaboli. Sed absit! 15

Haec autem dixi propter turbas et eos, qui sive mares sive feminae mihi id, quod viderint, indicare non poterunt, quando me non invenient vel pudore, sicuti audivi, prohibebuntur. Neque enim cuiquam, qui poterit, obsto, ne quaecunque viderit, ea ad me deferat, neque quisquam iis obstare poterit, quod quisque in 20 nobis certo rescierit, id mihi indicare eos prohibendo.

Propterea ecce hanc rem salutis et firmitatis conventus nostri statuimus, ut singuli nostri sive mas sive femina, sive senex sive adulescens, qui opera prava in nobis viderint manifesta, quod viderint, id ad veritatem mihi denuntient, ut omnibus suis rebus 25 fortunati sint omniaque, quae consignata sunt, bona in ipsos descendant.

*p. 159. *Vae nostris, quorum dominatrix lingua est, ut, quod factum non est, deferant!

Vae nostris, qui sibi ipsis prudentes sunt, ut rem, quae in nobis 30 facta est, celent!

Vae nostris, qui eos homines spernent, qui munia ministerii recte obierunt et in quibus nullum inventum est peccatum!

Vae nostris, qui eos homines spernent, qui in vitam solitariam introducti sunt et in quibus nullum inventum est peccatum! 35

Qui contra haec verba dicunt, ob omnia haec verba illi sedeant solitarii secundum *sacras* litteras instar corvorum [1]. Qui *vero* cum

[1] *Ps.* CI, 8 (?).

his verbis concinunt, ob omnia haec verba fiant instar columbarum, quae sunt super aquas tumidas, quae lotae sunt lacte, quae resident super aquas tumidas secundum *sacras* litteras [1].

Qui his verbis non parebunt, ob omnia haec verba fiant illi instar 5 terrae aqua non irrigatae, secundum prophetae vocem [2] : « Tu es terra aqua non irrigata, neque pluvia in te defluxit die furoris ». Qui his verbis parebunt, ob haec verba fiant instar terrae in monte et in valle sitae, quae aquam ex pluvia bibit [3].

Qui aures avertent et animos deflectent, ne omnia haec verba 10 attendant, ob omnia haec verba fiant instar montium altorum, in quos aquae fluviorum multae ascendere non possunt, ut omnino irrigentur, nedum vero ut in agros influant. Qui aures praebebunt et animos referent, ut haec verba attendant, * ob omnia haec verba fiant instar locorum profundorum et latorum et quae aquam in agros 15 hauriant e fluviis redundantibus. * p. 160.

Qui fremebundi haec verba conquerentur, ob omnia haec verba fiant instar arborum radicitus bis emortuarum et instar fontium aqua carentium secundum *sacras* litteras [4]. Qui haec verba recipient et submisse sequentur, ob omnia haec verba fiant instar silvarum 20 lignorum germinantium [5] secundum *sacras* litteras et instar horti conclusi et instar fontis signati [6] et instar puteorum aquarum, quae secundum *sacras* litteras [7] fluunt de Libano.

Quid tamen illud sibi vult : « Dic ei : Tu es terra aqua non irrigata, nec pluvia in te defluxit die furoris [8] » ?

25 Dico vobis : Qualis *est* ager sabulosus, quemadmodum scriptum [9] est, et qualis est terra aqua destituta nec pluvia rigata die furoris divini [10] secundum *sacras* litteras, tales sunt homines, quos praeceptores reliquerunt, ne ullum ipsis Dei ex doctrina *sacrarum* litterarum verbum facerent, ut illi animis fiant steriles instar terrae 30 non fecundae, quae aquis destituta nec pluvia rigata est.

Qualis autem contra est terra aqua rigata, tales sunt homines Dei metuentes, qui verbum *sacrarum* litterarum a praeceptoribus suis accipiunt. Fructum secundum *sacras* litteras [11] ferunt multum, quia caritas Dei, ut scriptum est, diffusa est in cordibus eorum [12], 35 * progignunt in se pacem et veritatem omnemque rem bonam * p. 161.

[1] *Cant.*, v, 12. — [2] Ezech., xxii, 24. — [3] Cf. *Deut.*, xi, 11. — [4] II Petr., ii, 17; Iudae, 12. — [5] Cf. *Eccl.*, ii, 6. — [6] Cf. *Cant.*, iv, 12. — [7] Ibid., iv, 15. — [8] Ezech., xxii, 24. — [9] Cf. Os., x, 4; xii, 11 (LXX). — [10] . . . — [11] Cf. *Ps.* i, 3; Ioh., xv, 5. — [12] *Rom.*, v, 5.

instar sementis agrariae et instar terrae germen suum proferentis, quoniam aqua irrigata est et pluvia in eum divinitus cecidit.

Quales autem sunt vineae, quae desertae sunt, ita ut non putarentur aut foderentur secundum *sacras* litteras et vepres in ipsis germinarent, sicut scriptum est, [1] tales sunt homines indociles *et* male parentes, quos praeceptores reliquerunt, ne eos reprehenderent neve ullum iis verbum facerent divinum. Et omnis simultas et omne odium omnisque res prava in modum graminis in iis egerminant.

Sicut autem vineae floruerunt et fructus suos tulerunt, quia putatae erant tempore putationis, sicut in aperto est et secundum *sacras* litteras «tempus putationis advenit», et «vineae nostrae floruerunt [2]», — ita etiam fructum multum, quemadmodum scriptum [3] est, ferunt homines Dei metuentes, qui doctrina Domini meditatione *sacrarum* litterarum instituuntur per *homines* Domini timentes. Neque doctrinam proponunt cum iactatione aut vana gloria, ut cum superbia oratores se vel doctores esse secum cogitent more scribarum et pharisaeorum, qui voluerunt ab hominibus vocari rabbi et magistri [4]. Sed qui Deum timent, verbum Domini demisse proponunt, cum exoptent, ut ii, quibuscum loquuntur, laqueos effugiant diaboli et ad cognitionem veniant veritatis. Nec ab ullo sane homine cupiunt se omnino beatos praedicari aut vocari doctores * vel patrem sive matrem appellari cum vana gloria, cum verbi, quod scriptum est, memores sint : «Melior est patiens quam spiritus superbus [5]» temere corde suo carnali, quemadmodum scriptum est. Rursusque animum attendunt ad verbum Domini Iesu [6] : «Nolite vocari rabbi; unus est enim magister vester. Nec vocemini magistri, unus enim magister vester est, Christus.»

* p. 162.

Dico vobis — et haec etiam satis sint — : Quales sunt homines, qui magnis lapidibus ex alto in se detractis sua ipsi ossa confregerunt et suorum ipsi corporum carnes contriverunt, tales sunt omnes, qui in conspectu Domini peccatum committunt. Nobis solis magna divinitus mala inferimus et nobis ipsis omnes *sacrarum* litterarum contrahimus exsecrationes.

Et quales sunt homines, super quos ceciderat lapis, qui eos humi prostravit et quem alii ab ipsis revolvere ausi sunt, omnibus

[1] Is., v, 6. — [2] *Cant.*, II, 12 et sq. — [3] Cf. Ioh., xv, 5. — [4] Cf. Matth., xxiii, 7. — [5] *Eccl.*, vii, 9. — [6] Matth., xxiii, 8, 10.

autem suis viribus iidem imprudenter in se ipsos converterunt tales etiam sunt homines gloriosi et superbi *et* sicut ego ipse quoque peccatores, qui alios effugere docent *sacrarum* litterarum exsecrationes, sibi autem ipsi divina exsecratione illata pro sua stul-
5 titia exsecrationes *sacrarum* litterarum contraxerunt.

Sicut autem milites, quia ab aliis instituti sunt, eos, qui cum ipsis pugnant, in bello superant, ita hostes suos diabolos, qui cum iis bellum *gerunt, homines superant discipuli eorum, qui animos *p. 163. eorum doctrina *sacrarum* litterarum divinitus instruunt.

10 Ut autem milites, quia ab aliis instituti non sunt, iis, qui cum ipsis pugnant, proelio succumbunt, sic adversariis suis satanis, qui in omni peccato eos impugnant, succumbunt homines male parentes, qui ab aliis, qui *sacris* litteris eruditi sunt, non didicerunt.

Quemadmodum autem Dominus per prophetam denuntiavit
15 saepem vineae se ablaturum murumque eius se diruiturum esse, ut diriperetur et conculcaretur, quoniam fructum ex ea non perceperat, cum loco uvarum spinas tulisset, ita etiam Dominus Iesus obstat et persuadet hominibus, qui ipsum timent, ut ab hominibus male parentibus recedant, ut eos prohibeat ullum verbum istis
20 ingratis *et* superbis facere, quoniam nullum ex iis Dominus percepit fructum, cum non modo non bene, sed etiam male fecerint et praeceptoribus suis, qui eos obsecrant, ut ab omni malo se abstineant, non modo non se submiserint, sed contra se illis etiam praeposuerint in controversia et altercatione, ut cum animo inimico
25 et infenso ab iis discederent.

Qualis est urbs, cuius «principes in medio eius erant quasi leones rugientes» secundum *sacras* litteras [1] atque egenum et pauperem in ea affligebant, sicut scriptum est [2], tales sunt homines pervicaces, *quorum cogitationes et consilia in iis sunt tamquam *p. 164.
30 leones per ipsos rugientes pro sua superbia adversus praeceptores suos *et* contumacia sua eos affligentes sicut egenum et pauperem.

Primum quidem absit in conspectu Domini, ut a mutua institutione desistamus, dum ad iudicem verum Iesum veniamus, qui quidem totam omnium, qui mandata et praecepta, quae ipsis
35 iniunxerat, detrectaverunt — quorum equidem primus sum — degustavit ignominiam.

Sed vobis dico : «Sicut Dominus Deus praeclara effecit facinora

[1] Soph., iii, 3. — [2] Ezech., xxii, 29.

temporibus antiquis iam inde ab homine, qui in paradiso non paruit [1], et ab angelis [2], qui principatum suum reliquerunt, et ab aqua diluvii [3] usque ad ignem de caelo in homines Sodomae et Gomorrhae delapsum [4] et a Pharaone eiusque exercitu, quos mare absorbuit [5], usque ad eos, quos terra hausit [6], aliaque omnia, 5 in quibus Dominus magna edidit opera usque ad tempora novissima, quibus Dominus gloriae [7] Iesus in mundum intravit, sic etiam homines Dei metuentes magna opera edunt controversiis et altercationibus et perturbationibus et reprehensionibus et obiurgationibus et ictibus et vestimentorum lacerationibus genarumque 10 percussionibus et ploratibus et lacrimis copiosis *et* precationibus et consolationibus et benedictionibus aliisque multis rebus divinis doctrinae *sacrarum* litterarum eo consilio, ut alii paenitentiam agant.

* p. 165. Nec iam ex malis * suis prodierunt ii, qui peccata sua omni tempore exsequi volunt. » 15

Sicut autem Dominus Deus pro sua bonitate et indulgentia statuit, ut in omnes, qui toto orbe terrarum sunt, patiens esset, dum ad se singuli veniremus et usque ad diem, quo de rerum universitate in peractione temporis [8] iudicabit, sic etiam homines Dei metuentes *iam* inde ab antiquis nostris parentibus et a prophe- 20 tis usque ad diem hodiernum solent constituere, ut, postquam in omni re totam suam virtutem simul cum aliis exercuerunt, patientes sint omnem suam « iactantes super Dominum curam [9] », qui de rerum universitate iudicabit eo die, quo cuiusvis nostrum abscondita requiret. 25

Proinde secundum prophetae dictum, qui volet audire, audiat [10] : sibi soli audivit. Et qui parere nolet, faciat : sibi ipsi non paruit.

Scitote autem, o homines contumaces et indociles, male nobiscum agi, si ii, qui nos vere instituunt, nos relinquant et mittant, quod verba eorum non accepimus, quod a contumaciis nostris 30 noluimus recedere omnibusque nostris quae committimus peccatis, ut *tales* fiamus, qualis Babylon, quae remedia respuit. Quare illi sancti, quibus digna non erat, ex ea exierunt plagisque eam impuritatum omnibusque suppliciis reliquerunt.

Vae nobis, si verbum, quod scriptum est, aliquibus e nobis 35 dicitur : « A foris paretis hominibus velut iusti, intus autem pleni

[1] Cf. *Gen.*, III, 1-7. — [2] II PETR., II, 4; IUDAE, 6. — [3] *Gen.*, VII, 10 et sq. — [4] *Gen.*, XIX, 1-4. — [5] *Ex.*, XIV, 23 et sq. — [6] *Num.*, XXVI, 9 et sq. — [7] Cf. I *Cor.*, II, 8. — [8] Cf. MATTH., XIII, 49. — [9] *Ps.* LIV, 23. — [10] *Apoc.*, II, 11.

estis impuritate et stupro * et furto et mendacio et iurgio et rixa et * p. 166.
simultate et odio et contumacia et fraude et simulatione omnique improbitate instar sepulcrorum dealbatorum, quae a foris illa quidem sunt speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum
5 et omni spurcitia [1] ».

Vae nobis, si verbum, quod scriptum est, aliquibus e nobis dicitur : « Vos ipsi implete mensuram contumaciarum vestrarum et omnium vestrorum operum pravorum, serpentes, genimina viperarum! Quomodo fugietis a iudicio gehennae? Ideo ecce mit-
10 tam ad vos prophetas et sapientes scribas et homines Dei metuentes et ex illis occidetis et crucifigetis et ex eis flagellabitis in synagogis vestris et omnibus inimicitiis eos oderitis et persequemini eos de civitate in civitatem, ut veniant super vos omne iudicium et omnis obiurgatio et omnis irrisio et omnis animi dolor et omnis sanguis
15 iustus, qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem quidem occidistis inter templum et altare [2] ».

En haec est mensura, qua metientur hominibus verbo Domini non parentibus et doctrinam eorum, qui auctoritate Dei et scien-
20 tia *sacrarum* litterarum eos docent, spernentibus.

Satis enim nobis est iudicium, quod per Deum super nos veniet propter peccata omnesque impietates nostras, quas a pueritia admisimus usque ad diem hodiernum, maxime vero quod ira divina super nos veniet * sanguis prophetarum omnisque sanguis * p. 167.
25 iustus et iudicium aliorum Dei metuentium, qui nostra causa animis anguntur, quod verbum Domini contumacia nostra reiecimus. Si veniet super nos sanguis omnium sanctorum et iudicium aliorum propter peccata et contumacias nostras, quanto magis sanguis Domini nostri Iesu super nos veniet, quia in eum pecca-
30 vimus nec paenitentiam vere egimus.

Ideo vae nobis, si verbum, quod scriptum est, aliquibus e nobis dicitur : « Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas *et* lapidas eos, qui ad te missi sunt [3] ! » Dico vobis : Sicut Ierusalem occidit prophetas, ita nunc etiam nos, qui praecepta prophe-
35 tarum et apostolorum transcendimus omniaque praecepta Domini nostri Iesu, impuritatibus flagitiisque et furtis et mendaciis omnibusque peccatis eos conculcamus. Neque vero nos quidem

[1] Matth., xxiii, 27 et sq. — [2] Cf. Matth., xxiii, 32-35. — [3] Matth., xxiii, 37.

illos ipsos poterimus conculcare, qui obiurgationibus et exsecrationibus nos proterent ira et indignatione flammae instar in nos exardescentes, nisi paenitentiam agemus. Et sicut cives Hierosolymorum ad se missos lapidibus interemerunt, ita etiam nos nunc facimus, cum praeceptores nostros oppugnamus et iurgio eos 5 opprobrioque nostro et contumacia nostra lapidibus peiore a nobis detrudimus. Nec tamen a Deo poterimus eos detrudere neque opprobrium nostrum in eos cadet. «Deus est, qui eos iustificat p. 168. secundum *sacras* litteras [1], et quis igitur est, qui eos condemnet?» Nos vero nos ipsos a Deo detrusimus atque dileximus ignominiam 10 a robore eius *discedentes,* quemadmodum scriptum est [2], ita ut divinitus in nos irruat, quia elegimus nobis contumaciam, totius ex peccato mortis matrem, et totius in iustitia vitae matrem negleximus, oboedientiam.

Sicut autem propheta non contemnitur nisi forte in cognatione 15 et in domo sua [3], sic etiam verba prophetarum et verba omnium *sacrarum* litterarum et doctrinae nos docentium contemptu vacant, nisi forte apud homines non oboedientes, qui ea audiunt et legunt die noctuque et in omnibus rebus pravis sicut ego ipse quoque peccant. 20

Et sicut prophetae omniaque eorum verba amicissime accepti sunt ab iis, qui illa aetate eos diligebant et Deum timebant, sic etiam verba prophetarum omniaque verba *divinarum* litterarum et doctrinae nos docentium amicissime accepta sunt ab hominibus hoc ipso tempore Deum timentibus *et* laetantibus de iis, qui ipsis dicunt: 25 «Ad domum Domini eamus [4]», et in verbis *sacrarum* litterarum et doctrina se docentium exsultantibus sicut qui invenerunt, quemadmodum scriptum est [5], spolia multa, quia utilitas institutionis eximia est non *velut* argentum et prudentia pretiosior auro electo, ut scriptum [6] est, et «melior est dies una in atriis illius domus 30 p. 169. Domini» *iis, qui eum noverunt, «quam mille» foris secundum *sacras* litteras [7].

Si igitur Servator noster, qui omnium rerum potestatem habet, illis dicit : «Domus vestra pro vobis sive vobis deserta est [8]», quantum homines Dei metuentes discent recedere ab hominibus 35 contumacibus *et* murmurantibus sive querentibus in verba Domini

[1] *Rom.*, VIII, 33 et sq. — [2] . . . — [3] Cf. MATTH., XIII, 57; LUC., XIII, 34. — [4] *Ps.* CXXI, 1. — [5] Cf. *Ps.* CXVIII, 162. — [6] Cf. *Prov.*, VIII, 10. — [7] *Ps.* LXXXIII, 11. — [8] MATTH., XXIII, 38.

et doctrinam se docentium mandatu Domini Iesu et in verbum apostoli[1] : « Fratrem tuum vel haereticos homines postquam reprehenderis et increpueris et obsecraveris et docueris non semel nec iterum nec ter, sed saepissime noluerintque obtemperare
5 ad voluntatem Dei et non ad voluntatem singulorum ipsorum, devitabis et ab iis recedes. »

Si Lot ex urbibus, in quibus habitabat, aufugit, ne cum incolis Sodomae et Gomorrhae periret, sicut angeli Domini ei praeceperant : « Festina, exi de urbibus impietatis, ne forte cum illis in
10 iram tradaris, quae aliquo intervallo divinitus in eos irruet[2] », quanto *studio* homines Dei metuentes fugient ab hominibus male parentibus et pugnacibus litigiosis*que*, ne forte ira divina in se simul cum illis ad terram descendat neve rursus iudicio obnoxii fiant, quod Dominus Iesus in illos eiusmodi *homines* exercebit die eorum
15 *animadversionis et die iudicii in exitu temporis. *p. 170.

Si ii, qui hac aetate in deserto *degentes* Dominum timent, a coetu hominum, qui in deserto peccaverant, aufugerunt, ne cum ipsis perirent secundum *sacras* litteras[3], *quae :* « Recedite, inquiunt, ab hominibus duris neque consortes fueritis peccatorum eorum, ne
20 cum iis pereatis ira et iudicio, quod veniet super eos a Deo », nunc quoque conveniens est, ut omnes homines, in quocumque sunt coetu, Deum timentes fugiant ab hominibus murmurantibus *et* querulis *et* susurronibus et calumniatoribus et in omnibus rebus delinquentibus, ne opera sua laboresque omnes perdant utque
25 effugiant perniciem, quae in istos eiusmodi *homines* per exsecrationes et increpationes et iudicia a Domino Iesu irruet die veri iudicii Dei.

Si lampades, quibus oleum, qui eas curant, addere omittunt, non ardent, *sed* exstinguuntur, quantis in tenebris erunt homines male
30 parentes, si ab iis recedent ii, qui eos vere auctoritate Dei et non alterius instituunt, quoniam multi suopte ipsorum nomine et non Dei instituunt, sed fabulis humanis docent terrestria et [non[4]] caelestia, et parentes nostri antiqui et prophetae et Dominus noster Iesus sanctique eius apostoli quoque in odio fuerunt apud
35 *homines illius aetatis peccatores, in amore autem rursus maiore *p. 171. apud homines insontes et iustos; in hac autem condicione sunt

[1] Cf. *Tit.*, III, 10. — [2] Cf. *Gen.*, XIX, 15. — [3] Cf. *Num.*, XVI, 26. — [4] Ita legendum videtur.

homines, qui aliquem coetum sive marium sive feminarum instituunt : si in amore non sunt apud iustos homines *et* a Deo doctos Domini*que* nostri Iesu metuentes et in odio non sunt apud homines male parentes *et* murmurantes *et* querulos et in omni re delinquentes, hi huiusmodi *homines* non sunt patres neque fideles neque veri praeceptores, sed fallaces, sicut egomet ipse quoque sum, qui in amore sunt apud homines male parentes Deumque irritantes et in odio sunt apud homines iustos sicut falsi prophetae, qui in odio erant apud prophetas illius aetatis iustos et in amore apud homines male parentes et magis omnibus hominibus flagitiosos, quoniam ipsi et prophetae quoque eorum a via veritatis Domini aberraverant. Quare ira eius secundum *sacras* litteras[1] illo tempore cito in eos exarsit, ut eos nutriret angustiis simulque calamitatibus multis *quasi* fellibus expleret.

Miserandi erunt in nobis coetuum parentes sive mares sive feminae, qui ab hominibus inter nos non oboedientibus Dei*que* iram contumacia sua operibusque pravis concientibus diligentur.

Miserabiles sunt in nobis homines sive mares sive feminae offirmati et litigiosi et atroces et non mansueti, quos qui docent *p. 172. * propter contumaciam aliaque omnia opera prava recusaverunt.

O felices in nobis coetuum parentes sive mares sive feminas, qui ab hominibus diligentur in nobis a Deo doctis[2], et Dominus singulos nostrum fortunabit, qui in omni Dei obsequio incedent!

O felices coetuum parentes, propter quos discedent per se de coetu Domini homines truces *et* insolentes et omne malum omnibus inimicitiis omnibusque rebus malis sectantes!

Vae hominibus litigiosis et murmurantibus et querulis, qui ex coetu Domini exibunt propter parentes vere fideles!

O felices parentes, si homines vere fideles in coetu Domini perseverabunt propter Deum et propter amorem, quo parentes suos vere secundum Deum instituentes amplectuntur, et Dominus omnes, qui in Deo spem ponunt et in nobis cum moderatoribus suis concordant, fortunabit sive mares sive feminas sive senes sive adulescentes!

Detestatur Deus parentes conventuum sive mares sive feminas, qui more prophetarum falsorum conivebunt hominibus, qui cum ipsis in coetu sunt, contumacibus et in omni re peccantibus.

[1] Cf. *Ps.* II, 13. — [2] Cf. Is., LIV, 13.



Inquinati Domino Iesu sunt homines non oboedientes et in conventibus peccantes : erunt sicut Cain [1] et sicut Cham [2] et sicut Esau [3] et sicut omnes, qui parentes suos ab initio usque ad hunc diem oppugnaverunt.

5 * Grati Deo erunt ii parentes conventuum, qui exempla omnium nostrorum parentum sanctorum *et* antiquorum vestigiis consequentur : Henoch [4] et Noe [5] et Abrahae [6] et prophetarum omniumque, qui Deo paruerunt omnibus, quas eis praeceperat, rebus fideliter et aperte et manifesto, sicut scriptum est [7]. * p. 173.

10 Accepti vero Domino nostro Iesu sunt homines coetuum iusti, qui vestigiis exempla consequuntur Abel [8] *illius* iusti et Sem et Iaphet [9] et Isaac [10] et Iacob [11] et Ioseph [12] omniumque, qui parentibus paruerunt, ut hereditate acciperent non modo principatum aetatis omnesque eorum res, sed ut acciperent cum patribus fide-
15 libus filii illi iusti etiam vitam regni Dei aeternam.

Idcirco beati inter nos omnes sive mares sive feminae, quibus verbum, quod scriptum [13] est, dicitur : « Quicumque audierit a patre meo et didicerit, veniet ad me et audiet verbum meum et in me credet et fructum feret multum et accipiet vitam aeternam ».

20 Vae autem omnibus, qui sive mares sive feminae in nobis dicent : « Nos de nobis ipsi eo loco, quo ibimus, Deo rationem reddemus ». Et utinam isti male parentes de se rationem etiam vere redderent! Verum hoc dixerunt, ut doctrinam se docentium spernerent. Nec parvum quid est nos alias *sacras* litteras nobis statuere
25 et * verba neglegere, quae scripta sunt : « Audi, fili mi, disciplinam patris tui et ne dimittas leges matris tuae [14] », et rursus : « Audite, filii, patres vestros in Domino [15] », et rursus in multis *sacrarum* litterarum locis, quibus monemur, ut maiores nostros audiamus submisseque sequamur, quoniam ipsi pro animis nostris vigilant,
30 utpote cum Deo de nobis rationem redditturi sint [16]. * p. 174.

O felices nostros omnes, quos verbum, quod scriptum est, consolabitur : « Fili mi, noli timere disciplinam Domini nec animo deficere, cum ab eo corripieris. Quem enim diligit Dominus, eum

[1] Cf. *Gen.*, IV, 1-16. — [2] Cf., *Gen.*, IX, 18 et sq. — [3] Cf. *Gen.*, XXV, 19-XXVII, 42. — [4] Cf. *Gen.*, V, 21 et sq.; *Eccli.*, XLIV, 16; XLIX, 16. — [5] Cf. *Gen.*, V, 29-IX, 29. — [6] Cf. *Gen.*, XII, 1-XXV, 11. — [7] Cf. *Hebr.*, XI, 4 et sq. — [8] Cf. *Gen.*, IV, 1 et sq. — [9] Cf. *Gen.*, IX, 18 et sq. — [10] Cf. *Gen.*, XXI, 3 et sq. — [11] Cf. *Gen.*, XXVII, 1 et sq. — [12] Cf. *Gen.*, XXXVII, 1 et sq. — [13] Cf. Ioh., III, 36; VI, 37; X, 16; XV, 5. — [14] *Prov.*, I, 8. — [15] Cf. *Hebr.*, XIII, 17. — [16] *Hebr.*, XIII, 17.

castigat; flagellat autem omnes filios, quos recipit. In disciplina perseverate; tractat vos Deus quasi filios [1] ».

Contra autem vae nobis, si verbum, quod scriptum est, quibusdam e nobis dicitur : « Castigabit vos defectio vestra et malitia vestra increpabit vos. Scitote et videte amarum vobis esse vos me reliquisse, dicit Dominus Deus [2] ». 5

Beati nostrum singuli, quibus verbum, quod scriptum est, dicitur : « Exaudiat te Dominus in die tribulationis tuae, protegat te nomen Dei Iacob; mittat tibi auxilium de sancto et de Sion tueatur te! Memor sit omnis sacrificii tui, holocausta tua ei pinguia 10 fiant! Tribuat tibi secundum cor tuum et omne consilium tuum perficiat [3]! »

Contra autem vae nobis, si verbum, quod scriptum est, dicitur nobis : « Non habitabunt iuxta te maligni, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos [4] ». 15

*p. 175. *O beatos nostros, quibus verbum, quod scriptum est, dicitur : « Iustus sicut palma exaltabitur et sicut cedrus, quae in Libano est, dilatabitur, plantatae [5] in domo Dei [6] ».

Vae autem nobis e contrario, si verbum, quod scriptum [7] est, nobis dicitur : « Cum exorti fuerint peccatores sicut faenum et 20 effloruerint omnes, qui operantur iniquitatem, *hoc fit,* ut intereant in saeculum saeculi ».

O felices, quibus verbum, quod scriptum est, dicetur : « Benedictus vir, qui confisus est in Domino et erit Dominus ei fiduciae [8]! »

Vae autem nobis e contrario, si verbum, quod scriptum est, 25 nobis dicetur : « Posuerunt mendacium sibi spem et mendacio protecti sunt [9] ».

Dico vobis : « Quale est lignum, quod plantatum est super aquam et quod ad humorem mittit radices suas, sicuti scriptum est [10], tales sunt homines a Deo docti; radices in fundamentum 30 agunt cum caritate et pace, cum obsequio in evangelium Dei, quod quidem praedicatum est omni creaturae [11], quae sub caelo est. »

Porro sicut lignum, quod plantatum est super aquam, non flaccescet, si turbo in id irruet, neque fructus ferre desinet, ut scriptum est [12], sic etiam se habent a Deo docti per eos, qui doctri- 35

[1] Cf. *Prov.*, III, 11; *Hebr.*, XII, 5-7. — [2] IER., II, 19. — [3] *Ps.* XIX, 2-5. — [4] *Ps.* V, 6. — [5] Vel : plantatos (?) scl. nostros. — [6] Cf. *Ps.* XCI, 13 et sq. — [7] Cf. *Ps.* XCI, 8. — [8] IER., XVII, 7. — [9] IS., XXVIII, 15. — [10] Cf. *Ps.* I, 3; IER., XVII, 8. — [11] Cf. MARC., XVI, 15; *Act.*, II, 5. — [12] Cf. IER., XVII, 8.

nam Domini iis annuntiant; non timebunt vexationes satanae aut tentationes diaboli neque unquam çessabunt fructum *ferre multum * p. 176.
in patientia secundum litteras [1] *sanctas* in omni re bona.

Sicut autem arbores deserto in loco, qui aqua caret, plantatae
5 arescunt sterilesque fiunt, sic etiam arescunt sterilesque fiunt Deo homines non parentes *et* qui sibi solis confidant pro sua ipsorum prudentia, quae cito concidet instar graminis.

Vae autem nobis, si verbum, quod scriptum est, aliquibus e nobis dicitur : «Non tacebo, donec reddidero in sinum eorum
10 iniquitates ipsorum et iniquitates patrum eorum, dicit Dominus [2]», vel : «reddam in sinum eorum peccata eorum et facinora angustiis et calamitatibus atque obiurgationibus et exsecrationibus», vel dicit : «Ego vos omnes tradam gladio, omnes gladio cadetis, quia vocavi vos nec me audistis; locutus sum et neglexistis, fecistis
15 malum in oculis meis et, quae nolui, ea elegistis [3]», vel dicit : «Illi elegerunt impietates et facinora sua, quae quidem anima eorum voluit. Ego quoque, inquit, eligam illusiones eorum et reddam eis peccata eorum, quia vocavi eos nec me audierunt, locutus sum nec auscultaverunt feceruntque malum in oculis meis et, quae nolui,
20 ea elegerunt [4]».

O felices nostros, quibus verbum, quod scriptum est, dicetur : «Aedificabunt domos et habitabunt in eis *et plantabunt vineas* p. 177.
et comedent fructum earum vinumque earum bibent; non aedificabunt, ut praeter se alii in eis habitent solos, neque plantabunt,
25 ut alii ea comedant, sed illi ipsi fructibus earum saturabuntur. Secundum enim dies ligni vitae erunt dies populi mei. Electi mei opera laborum suorum efficient diuturna neque laborabunt frustra neque generabunt ad calamitatem, quia semen a Deo benedictum est. Eritque, antequam clament, ut ego eos exaudiam; adhuc
30 illis loquentibus dicam : Quid est [5]?»

Vae autem nobis, si verbum, quod scriptum est, quibusdam e nobis dicitur : «Aedificabis domum et tu non habitabis in ea; plantabis vineam et non vindemiabis eam. Bos tuus immolatur coram te et non comedes ex eo [6]».

35 Dico vobis : «Quales sunt carnem comedentes suillam et ius, quorum vasa omnia sunt inquinata, ut scriptum est [7], tales sunt

[1] Cf. Luc., VIII, 15. — [2] Is., LXV, 6 et sq. — [3] Is., LXV, 12. — [4] Is., LXVI, 3 et sq. — [5] Is., LXV, 21 et sq. — [6] *Deut.*, XXVIII, 30 et sq.; cf. Am., V, 11. — [7] Cf. Is., LXV, 4.

homines pugnaces et litigiosi, quorum universa animi consilia polluta sunt omnibus impuritatibus sive pollutionibus sive furtis et mendaciis.

Et quales sunt, qui mensam straverunt daemoni et libationes suas Fortunae libaverunt [1], tales etiam sunt superbe et contumaci- 5
*p. 178. ter se gerentes, ita ut moderatores ullum iis verbum *dicere vereantur propter multam eorum iram.

Et quales sunt, qui commisti sunt inter gentes et didicerunt omnia eorum opera, ut scriptum est [2], tales etiam sunt, qui commisti sunt vel commiscebuntur satanis daemonibus et opera 10 eorum didicerunt stupris omnibusque rebus pravis.

Et sicut eos, qui domos aedificaverant *et* vineas plantaverant vel vitulos iugulaverant vel panem suum coxerant vel oleum suum presserant omniaque, quae ad vitam corporis pertinent, paraverant, Deus noluit in domibus suis habitare atque de omnibus 15 laboribus suis comedere propter peccata in se commissa [3], ita etiam Dominus noluit eos in conventibus, in quibus desudaverant, habitare aut omnibus laboribus suis ali inde a sedibus, quas exstruxerant, usque ad panem omnesque res, quas ad totum vitae corporis apparatum paraverant, qui vel a Deo e conventibus suis 20 eiecti sunt vel in superbia et contumacia et falsa prudentia incedunt vel stupra fraudesque omnibus peccatis commiserunt.

Sicut autem ii, qui domos aedificaverant, in ipsis habitaverunt, et qui vineas plantaverant, vinum earum biberunt omnibusque
*p. 179. manuum * laboribus operosis saginati sunt [4], quia Dominus voluit, 25 quoniam iuste in conspectu eius egerant, sic etiam Dominus omnes, qui eum metuunt, patienter retinet et in conventibus suis confirmat, ut omnibus operibus suis recreentur inde a sedibus, quas exstruxerunt, usque ad panem suum et oleum ceteraque opera manuum laboriosa omnia, quia benevolentiam in eos contulit, 30 quoniam iuste in conspectu eius egerant.

Quare, carissimi, confidite magnam vobis esse mercedem omnibus vestris laboribus partam, iam Deus vos fortunabit vobisque cunctos labores prosperabit adversariumque vobis satanam affliget toto vitae vestrae tempore. Vos enim ipsi digni estis, quibus verbum, quod 35 scriptum est, dicatur : «Super aspidem daemonis et basiliscum

[1] Cf. Is., LXV, 11. — [2] Cf. *Ps.* CV, 35. — [3] Cf. *Deut.*, XXVIII, 30; SOPH., I, 13. — [4] Cf. Is., LXV, 21; EZECH., XXVIII, 26; AM., IX, 14.

spiritus impuri ambulabitis et conculcabitis leonem diaboli et draconem satanae omnis nequitiae plenum ritu serpentis veneno turgidi [1] ».

Quis autem est ille impurus, ut Dominus Iesus eum humi sub pedes vestros proiciat? Vos digni estis, quos in omnibus angustiis se inclamantes exaudiat, quoniam « oculi Domini, ut scriptum [2] est, in iustos prospiciunt et aures eius preci eorum admotae sunt », et quibus verbum, quod scriptum est, confidenter dicatur [3] : « Clamaverunt iusti *et* Dominus exaudivit eos, ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos », quibus autem etiam acquiescat sermo, qui scriptus est, dicatque iisdem sua sponte : *« Amici Domini, tuto habitabitis [4] » et Deus vos obumbrabit[5] cunctis diebus vestris.

Miseri autem erunt nostri, quibus verbum, quod scriptum est, dicetur : « Disseminabo eos quasi stipulas, quas ventus raptat in deserto [6] ».

Proinde pectora nostra timore Domini configamus [7], nos, o homines indociles, et paenitentia tacti Deo supplicemus, priusquam fiamus, quemadmodum scriptum est, instar floris, qui perit[8], antequam ira Domini in nos irruat, priusquam dies furoris Domini super nos veniat.

Vae nostris, qui sive mares sive feminae auctores evadent operum pravorum, quae temporibus inter nos fient posterioribus!

Vae nostris sive maribus sive feminis, propter quos quorumque facinora mala Deus iram furoremque in homines convertet insontes sive his nunc temporibus sive temporibus posterioribus!

Deus si iram, postquam[9] ab initio in eum peccaverunt, nihil dubitavit in eos evomere, ne cunctabitur quidem furorem effundere in omnes nostros, qui eum offendent hoc nunc tempore et tempore posteriore.

Deus autem si iustos, ubi[10] ab *initio exstiterunt, minime omisit servare ab iris omnibus, quas in omnes peccatores effudit, ne unquam quidem praetermittet omnes nostros, qui iusti erunt hoc nunc tempore et tempore postero, ab omnibus vindicare iris, quas

[1] Cf. *Ps.* xc, 13. — [2] Cf. *Ps.* xxxiii, 16; I Petr., iii, 12. — [3] *Ps.* xxxiii, 18. — [4] *Deut.*, xxxiii, 12. — [5] Cf. *Ps.* xc, 4; cxxxix, 8. — [6] Ier., xiii, 24. — [7] Cf. *Ps.* cxviii, 120. — [8] Is., xxviii, 1; xl, 6 et sq.; Iac., i, 10 et sq.; I Petr., i, 24. — [9] Verisimiliter legendum est ⲉⲛⲉⲛⲧⲁⲩⲣⲛⲟⲃⲉ : Deus si iram in eos, qui ab initio in eum peccaverunt, nihil dubitavit evomere... — [10] Verisimiliter legendum est ⲉⲛⲉⲛⲧⲁⲩϣⲱⲡⲉ : qui...

effundet in omnes nostros, qui aliquando delictum committent.

Expedit nobis, o fratres, semper precari, ne in tentationem incurramus [1].

Agedum paenitentiam agamus, priusquam veniat tempus, quo dicatur : «Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam et polluerunt templum sanctum tuum [2]» stupris et impuritatibus et pollutionibus et furtis et mendaciis omnique re mala, quae nunc ignis instar in conventibus flagrant; etiamsi multas in ea effundamus aquas, vix paululum exstinguentur, maxime vero, quod vehementius flagrabunt iis temporibus, quibus vasculum aquae in ea non effundetur, sed potius incrementum afferetur flammae illius ignis, ut Dominus quoque flammam irae sui in eos furoris illis temporibus intendat.

Agedum paenitentiam agamus, priusquam veniat tempus, quo verbo, quod scriptum est, dicatur : «Sion, civitas sedis tuae sanctae, est deserta; Ierusalem instar desertorum facta est. Domus nostra sancta exsecrationi implicata est et gloria, quam laudaverunt patres nostri, combusta est [3]».

*p. 182. * Tantummodo semen patrum nostrorum erit in saecula saeculorum et memoria eorum «in generationem et generationem» [4], quemadmodum scriptum est. Semen autem impium e contrario peribit in aeternum secundum litteras [5] *divinas,* et Dominus omnes, qui mala agent, omni tempore delebit. Semen impiorum ii sunt, qui improbitates in nobis omni tempore committent. Semen *autem* patrum nostrorum ii sunt, qui omni tempore in nobis iuste agent.

Agite, paenitentiam agamus et colligamus nobis gratiam, quae nobis obveniat apud Dominum eo quo ibimus loco, quamdiu in terra versamur usque in diem hodiernum.

Dico vobis : «Sicuti diem, si horas absolverit noxque appetierit, apud nos retinere non possumus, sic etiam gratia Dei eo quo ibimus loco nobis obtingere nequit, cum in peccatis nostris decedemus et fraudibus omnibusque impietatibus, quas, dum nunc in terris sumus, in conspectu eius admiserimus.

Paenitentia non est, si ad ieiunia et preces dumtaxat incumbimus, fraudulenti autem sumus in omni re prava. Neque paenitentia est, si omnia litterarum *divinarum* dicta, quae, ut scriptum est,

[1] Cf. Matth., xxvi, 41; Marc., xiv, 38; Luc., xxii, 40, 46. — [2] *Ps.* lxxviii, 1. — [3] Is., lxiv, 10 et sq. — [4] *Eccli.,* xliv, 14. — [5] *Ps.* xxxvi, 28.

melle dulciora sunt [1], recitamus, contra autem in litibus haeremus et invidiis et corruptionibus et altercationibus et contumaciis et calumniis et odiis et mutuis inimicitiis aliisque similibus rebus omnibus, quae quidem omni felle amariores sunt.

5 Videte multis *sacrarum* litterarum locis ullum nos vetari * iurare iusiurandum, praeterquam quod sermo noster sit dumtaxat « est, est et non, non [2] ». Videte contra, quam sancte sancti omnes per caelum terramque iuraverint vos penitus esse perituros, si praecepta neglegeretis et mandata Domini Dei vestri. * p. 183.

10 Quare vobis dico : « Si praecepta Domini transcendemus nec paenitentiam agere volemus et mandata universa, quae in epistulis omnibus scripta sunt, neglegemus, Deum testor penitus nos perituros esse magnaque mala et magnas miserias et tentationes magnas a Domino Iesu in nos irruitura esse, quae quidem non credemus in nos irrui-15 tura, si ea quidam nobis denuntiabunt. Mirum non est, si Deus patiens est in homines non parentes *et* in coenobiis peccantes?

Dico vobis : « Homines prudentes si Dei recordantur patientiam, cohorrescunt, quia in eos patiens est, ut poenas ab eis repetat tempore opportuno, die irae [3].

20 Attamen caput secundum id, quod scriptum est, inclinabo et suspirabo, contremisco autem per animi dolorem membris omnibus. Si enim ea dicam, loqui obliviscar [4]. Maximopere ea diximus, audivimus (?), diximus ea [5], et omnia, quae diximus, valde « multiplicata sunt super numerum », quemadmodum scriptum est [6].

25 Si autem mirum est, quod verba multa * diximus vel etiam audivimus, tamen magis etiam mirum est, si ea ut exsequamur conservamus, si ea dicimus vel audimus, ut etiam opera faciamus pacis et caritatis et puritatis et prudentiae et omnis generis opera bona innumerabilia, sicut diximus verba innumerabilia vel audivi-30 mus. * p. 184.

Sed si mirum est, quod modicis incumbimus ieiuniis paucisque precibus, plane mirabile est, quod a Verbo divino non invenimur vel comprehendimur, cum gloriosi simus vel superbi vel male parentes vel alteri simus iniuste inimici vel clam fraudes committa-35 mus per omnes improbitates.

Deinde autem, fratres, videte, quomodo mentis caecitatem et

[1] *Ps.* CXVIII, 103. — [2] MATTH., V, 37; IAC., V, 12. — [3] SOPH., I, 15. — [4] IOB., IX, 27. — [5] Locus videtur corruptus esse. — [6] *Ps.* XXXIX, 6.

oblivionem animis vestris copulaveritis[1] instar lapidis, quoniam vosmet ipsos plumbi instar[2] demersistis in profundas vestras imprudentias et simulationem et placendi hominibus[3] studium, non quasi in altitudinem maris solum, sed tamquam in voraginem inferni et perditionis, quae quidem secundum *divinas* litteras[4] insatiabiles sunt.

Forsitan iudicium cogitetis facinorum, quae admisimus, malorum in conspectu Dei exstinctum esse; dico me et vos miseros et litigiosos et querulos et stomachosos et indociles et male parentes et in omnibus rebus meo ipsius quoque more peccantes.

Cur vero diebus aestatis senem, qui apud vos est, iratus ad vos misi, ut vobis dicerem : «Animo in vos sum prorsus infenso»? Nonne propter id solum, quod quosdam, qui frequentes sunt apud vos, scio Domino non probari, quoniam cum in epistula, * quam ad vos scripsi, vos rogassem, ut seni, si ad vos venisset, omnia ad veritatem patefaceretis, nihil tamen ei dixistis verum, quod neque pudor vos tenuit neque formido omnium, quae in epistulis scripta sunt, verborum : exsecrationum faustarumque precationum, neque miseratio illius, quod prompsi, dicti : Dolore animi nos et vos contabuimus. Verum omnibus nobis luctum potius et gemitum addidistis, velut ante senem oculo maligno stetistis, ipsi et Domino mentientes nullum ei ingenue dixistis verbum, cum timor Dei in vobis vere perfectus non sit, non solum, quod seni, cum ad vos venisset, quod dicere oportebat, id non dixistis, sed verba etiam fallacia e pectore vestro falsitatis pleno congessistis *et*, cum senex a vobis contristatus, quod sinceritatem in vobis non invenerat, ad nos rediisset, simulate nobis scripsistis.

Et ita, cum verba mihi factaque vestra proponeret, animo exarsi, ut ob animi dolorem illa nocte prorumperem et exirem. Sed Deo sit gratia, qui omnium nostrum singulos continuit usque ad hunc diem! Hac igitur ratione efferbui ira non tota illa nocte tantum totoque illo die, verum saepenumero propter vos ira ignis instar intra me exarsi.

Etenim senex me et qui apud vos sunt senes viderunt manus ad caelum tendentem *et* iratum * coram Domino iurantem : «Innocens ego sum a sanguine[5]» vestro neque mihi res cum anima est,

[1] Lege ⲚⲦⲀⲦⲚⲘⲞⲨⲢ. — [2] Cf. *Ex.*, xv, 10. — [3] Cf. *Gal.*, i, 10. — [4] Cf. *Prov.*, xxvii, 20; xxx, 16. — [5] Matth., xxvii, 24; *Act.*, xx, 26.

non quin ieiuniis aut multis precibus aut lectionibus frequentibus sine intermissione incubueritis aut laboribus in Domino innumerabilibus, sed contra quia inimicitiarum et invidiae et odii mutui pleni estis *et* bona vestra opera ipsi comburitis altercatione et murmuratione et calumnia omnibusque peccatis, quae quidem igne peiora sunt, atque etiam quia ista verba, quae nobis scripsistis, similia sunt verbis puerorum in foris ludentium [1], ita ut stultus, qui ea audiet, rideat pro sua stultitia et sapiens, qui ea audiet, de vestra imprudentia ploret mentisque caecitate.

Tantum afuit, ut aperta, quae in vobis committitis, opera mala, de quibus quidem nos, si ea neglegemus, Dominus in ius vocabit, nobis mitteretis, ut contra ad malitiam et mollitiem, quae in vestris singularum animis abditae sunt, effodiendas adigeremini et nobis ea mitteretis, de quibus nec ad vos miseramus nec anxie inquirere Deus nos per *sacras* litteras iussit nec nos Deus interrogabit, quoniam ipse abscondita tenebrarum diiudicabit et consilia animorum patefaciet [2] et pro suis quemque operibus remunerabitur.

Quis vestram inter vos caritatem nos docuit in vobis elanguescentem nisi forte ipse Deus? Quoniam ab initio usque ad hunc diem mentimini *, cum vos inter vos diligere simulate dicitis. Et Dominus quia iustus est, idcirco animos vestros perturbatione perculit, dum pro vestra ignorantia nobis mutuum animorum vestrorum odium verbis crebro nobis transmissis aperiretis, quae ad nos per epistulas vestras et colloquia eorum, qui inter vos numerantur, permisistis, maxime vero per senem, cum a vobis reversus ad nos se rettulisset.

* p. 187.

Dico vobis : Quales sunt homines, qui res furtim aliquando abstulerunt et [3] annis post sua ipsorum lingua irretiti sunt, ut ea, quae furati erant, clam ipsis adimerentur, tales vos quoque estis : ex quo primum apud vos congregatae estis, mutuam in animis vestris esse caritatem et pacem linguis gloriamini et eo tempore, quo nobis verba vestra veritatis expertia misistis, convenientia verborum oris vestri vos ipsas proditis omni tempore mentiri, *si* vos inter vos diligere *dicitis,* ita ut sermo, qui scriptus est, me et vos reprehendendo vocet quasi ventos et nubes et pluvias apertas [4]. Eiusmodi sunt, qui de caritate ficta gloriantur et pace commenticia et rebus quas agunt omnibus.

[1] Cf. Matth., xi, 16 et sq. — [2] Cf. I *Cor.*, iv, 5. — [3] Lege ⲁⲩⲱ. — [4] Cf. *Prov.*, xxv, 14.

Fateor vobis : Sicut « non omnis, qui dicit : Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem[1] » Domini nostri Iesu Christi, ita etiam omnes, qui alterum « opere et veri- *p. 188. tate diligunt[2] » nec rem salutarem alterum * celant, intrabunt in regnum Dei. 5

Fateor vobis : Cum verba vestra vestris in epistulis distorta legissem, dixi : « Cum animi dolore propter vos panem meum cum terra miscui, quoniam maestitia me affecistis apud nos maxima, propterea quod vanitatem et mendacium istic dilexistis [3], quemadmodum [scriptum est... 10

42. De iudicio Dei.

...] fallaciter, singuli socios illudent nec verum dicent. Dolor animi si gravis est in eo, qui semel vel bis vel saepius locutus est, quod de ea re, quam fecerat, reprehensus est, quanto gravior est in iis, qui non parce maerent toto illo tempore, ex quo fundamentum tibi positum est! Qui de tuis, qui decesserunt, parentibus sunt, 15 quos tu multa cum aegritudine non irriseris, quamvis digni, qui omnium animis probarentur, homines essent, cum contra nunc tecum commorantes digni sint, qui maerore afficiantur, quoniam ego quoque eum, qui me procreavit, pravis meis facinoribus reddidi iratum? 20

Qui tecum loquitur, milites ante se non ponet neque obstabit iis, qui mortem sibi in te vitae praeoptant. Equidem tolerabo animi dolorem; neque enim dies, quo *suum* cuique retribuetur, retardabitur. Qui delinquentes in te dolet sive dolent, iis non nocet legere psalmi dictum : « Propter te, Domine, sustinui opprobrium, ope- 25 *p. 189. ruit confusio faciem meam[4] ». Et iterum : « Tu enim scis *improperium meum et confusionem meam et reverentiam meam[5] ». Et rursus : « Posuisti me in lacu inferiore, in tenebrosis et in umbra mortis[6] ».

Num alia est ira, postquam Deus hominem peccatorem die iudicii 30 ad ignem in perpetuum condemnavit? Item ne alia quidem ira est, postquam Deus hominem fraudulentum exsecratus cupiditatibus et libidinibus ignominiosis ceterisque omnibus viis et operi-

[1] Cf. Matth., vii, 21. — [2] Cf. I Ioh., iii, 18. — [3] Cf. Ps. iv, 3. — [4] Ps. lxviii, 8. — [5] Ps. lxviii, 20. — [6] Ps. lxxxvii, 7.

bus suis malis *tradidit,* ut scriptum est in psalmis[1] et apud apostolum[2] et in universis litteris *sacris.*

Nemo est inter eos, qui a dextera regis sunt, homo, quin videat, vel cognoscat omnes, quos die irae exsecratus ad inferos detrudet.
5 Sciant etiam Dei in te metuentes exsecratione percelli pestifera ista opera omnesque *praeceptorum* violationes in te perpetrantes.

An expiati non sumus ab exsecratione nobis iniuncta propter pollutiones nostras et impuritates et furta et omnes *legum* violationes ceteraque mala, quae eo tempore commisimus, quod, cum veritas
10 nobis deesset, transegimus vanis capti rebus vel ad *obtinendum* annitentes interitum?

Angelus immisericors, quem Deus secundum id, quod scriptum est [3], mittit, ut homines malos *et* qui oblocutiones excitent ulciscatur: ira eius dura est. Et vae eis, qui ei tradentur!
15 Poena vero, quam Deus iis, qui opera in eum committunt vel committent fraudulenta, irrogabit sive imponet, est ignis consumens.

Angelus immisericors hominem ipse calamitatibus in terris castigat, et erit utique, ut eum semel * percutiat, *ita* ut moriatur et * p. 190.
20 omnia, quae admittit, peccata obturet.

Exsecratio autem hominem fraudulentum ipsa tradit impuritati et furto et mendacio et omni generi delictorum, quae committit vel quae in te committent.

Quos ignorant homines in te impuritates committere et omne
25 genus fraudium — exsecratio vero eos novit, ut mentes eorum alienet, dum ipsi se pollutioni permittant omnique generi delictorum, ut omnes impuritates perpetrent.

Quid est Dei exsecratione peius? Vel quid est benedictione eius praestantius aut melius? Benedictio hominem iustum expro-
30 mit dignum, qui ad Dominum accedat. Exsecratio e contrario hominem maleficum expromit indignum, qui ad Dominum accedat. Exsecratio Deo et angelo est quaedam in hominis peccantis capite labes. Benedictio Deo est quoddam in hominis iusti capite unguentum instar unguenti, quod erat in capite Aaronis [4].
35 Si satanas hominem solet omnibus peccatis perdere se periisse inscium, quippe cum sauciationes sive vulnerationes sive plagae

[1] Cf. *Ps.* LXXX, 13. — [2] Cf. *Rom.*, I, 24-32; *Eph.*, IV, 19. — [3] Cf. *Ps.* XXXIV, 5 et sq. — [4] Cf. *Ps.* CXXXII, 2.

peccati in corpore eius non appareant sicut sauciationes gladii, quanto magis Deus exsecratione *sanctarum* litterarum hominem maleficum perdet se periisse inscium, quippe cum vulnerationes sive sauciationes sive plagas exsecrationis non videat in corpore suo manifestas sicut sauciationes gladii! 5

Quod delectatus homine iusto Deus primum facit, hoc est bona in eum effari sive ei benedicere, uti in primordio Adamo et Evae benedixit [1].

* p. 191. Quod contristatus homine peccatore Deus primum facit, *hoc est exsecrationem in eum edere, uti in primordio Cain[2] de terra exse- 10 cratus est.

Miserere tui ipsius, coetus, et audi, quod scriptum est, verbum : « Ambulate, dum lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant [3] ».

Qui ligna ex igne extraxerit, ne locum ei rursus demus iterum ea illuc reiciendi, postquam ea ex ipso eduxit sive sub*duxit* hora 15 diluculi, dum lux diei cum noctis tenebris luctatur, quoad eas dissipat. Quae sunt ligna, aut quis est ignis, aut quis illa ex eo extraxit?

Medere tu oculis mentis nostrae, meae et tuae, praeceptis et doctrinis litterarum *divinarum,* ut mendacio aliisque malis omni- 20 bus liberentur, tum sanati omnia sciemus, sicuti homo, si oculi corporis sanguine aliisque morbis omnibus, qui in eis fuerant, exempti sunt, recreatus omnes res videt.

Nolo quosdam in te verbum dicere pro alio verbo. Quare eis denuntio : « Non vidi eiusmodi rem eo modo, quem numquam dixi, 25 occultam. » Quem dico in te medio stare [4], is tibi est manifestus, is tibi est occultus, et profecto nescis, quis vel quid sit. Si viam navis navigantis vel aquilae volantis, ut scriptum est[5], noverim aut tu noveris, noveris omnia Dei abscondita. Concessum nobis non est, ut viam avis vel navis sciamus, sed illud nobis concessum est, 30 ut viam sciamus vel omnes vias, quas vel quam fecerunt, ut omnes homines per eas incederent.

Patiens ero *et* pacatus iis, inter quos est *homo* ipsis et Deo pacatus.

* p. 192. *Ascende per scalas domus, quam avi tui sibi aedificaverunt et filiis nepotum suorum usque in saecula et in omnia tempora 35 aeterna.

[1] Cf. *Gen.,* I, 28. — [2] Cf. *Gen.,* IV, 11 et sq. — [3] IOH., XII, 35. — [4] Cf. IOH., I, 26. — [5] Cf. *Prov.,* XXX, 19.

Cui loquitur? Aut quis id dixit? Omnia tua verba tu alta in mente repone, iam singulos, qui in te habitant sive mares sive feminae, sine mora in tribunali Dei omnes cognoscemus. Sin autem in tertiam contignationem sive contabulationem domus veneris sive
5 escenderis, solacium sive gaudium tibi sociisque tuis obtinget. Quis tardavit, ut tardarem vel tu tardares? Nonne *scriptum* legis [1] : «Omnium finis appropinquavit»?

Noli hoc volumen appellare legem aut orationem doctrinae et praecepti, verum id appella inimicitias et gemitus et vitupera-
10 tiones.

Noli in ista epistula dicere : «Ne eos duxeris pro inimicis» vel : «Loquere iis ut frater» vel : «Sustine infirmos, patientia in omnes utere». Hoc non est. Noli ius convertere in bilem aut fructum iustitiae in amaritudinem, sed contra hoc modo eam lege : «Ne
15 consueveris cum ullo vel ullis, qui frater nominatur sive fratres, si est fornicator sive fornicatores aut idolis servientes aut avari aut maledici aut ebriosi aut rapaces; cum eiusmodi homine sive hominibus noli cibum sumere [2]». Lege hanc epistulam : Ut iniqui aut fornicarii aut idolis servientes aut adulteri aut molles aut
20 masculorum concubitores aut ebriosi aut maledici regnum Dei * non possidebunt, ita ne avari aut rapaces quidem regni Dei heredes erunt [3].

* p. 193.

Ne dixeris in ista epistula : «Inquire pacem et persequere eam [4]» vel : «Habete pacem inter vos [5]» vel : «Pacem sequimini [6]», verum
25 ita potius eam lege : «Si oculus tuus vel manus tua vel pes tuus scandalizat te, erue eos sive abscide eos et proice abs te [7]».

Ne dixeris in ista epistula : «Qui odit fratrem suum, homicida est [8]», sed potius dic : «Facientem praevaricationem odio habui [9]».

Quem autem gemere vel in quem animo esse infenso? Nemo alius
30 est, nisi qui in te admittunt sive admittent opera fraudulenta omnemque rem legibus vetitam. Quis gemet vel qui gement nos, me et illos miseros? Spiritus, secundum id quod scriptum est, qui gemitibus inenarrabilibus[10] Deum pro sanctis cum ipsorum utilitate deprecatur, nunc quoque Deum pro nostris, qui eum timent, cum
35 ipsorum salute deprecatur, ut leges eius ad summam veritatem

[1] I Petr., iv, 7. — [2] Cf. I *Cor.*, v, 11. — [3] Cf. I *Cor.*, vi, 9 et sq. — [4] *Ps.* xxxiii, 15. — [5] Marc., ix, 49; II *Cor.*, xiii, 11. — [6] *Hebr.*, xii, 14. — [7] Matth., xviii, 8 et sq.; Marc., ix, 42. — [8] I Ioh., iii, 15. — [9] *Ps.* c, 3. — [10] *Rom.*, viii, 26.

observent. Amplius vero etiam pro eius mandata in te violantibus Deum gemitibus inenarrabilibus iratus deprecatur cum ipsorum animarum eversione et exsecratione. Verbum gemit et veritas. Angelus eos iratus in te locisque circumiectis animo gemit infesto.

Rursus iram in eos, qui fraudes omniaque in te delicta committunt, 5 * p. 194. non sivisti aut non siverunt eum effundere *, ita ut simul exstingueremur. Quid afferunt in te utilitatis, de quibus per verbum scriptum dicitur vel dicetur : « Conservatur impius ad diem malum » [1]? Quid facit angelus et Spiritus aliique omnes, quod ob patientiam Domini cito delere nequeunt homines peccantes, qui dant vel... 10

(*desunt paginae duae*)

. . .]tradere (?) magnam hanc multitudinem impuritatibus et furtis omnibusque flagitiis, sicuti filios Heli Philistaeis in manum tradidit patremque eorum ipsum quoque comminuit simul*que* eos interemit [2]. An tu negas eum, si voluntate fuisset ab 15 istis filiis pestiferis aversa, iram illam, quae in eos irruit, effugiturum fuisse ?

Ne illuseris, ne tu quidem. Noli pacatus esse hominibus sive filiis contumacibus et nequitiae in te semper studiosis, ne Deus te omnibus malis tradat neve simul cum illis te affligat sive nunc in 20 terris sive die iudicii.

Quare etiamsi ego aut alii in te aut angelus caelestis [3] tibi proponat, ut eos, qui omnibus praevaricationibus opera in te abominanda perpetrabunt, feras sive indulgenter habeas, nolito eos audire, ne secundum, id, quod scriptum [4] est, cum iis pereas ut insipiens et 25 stultus.

p. 195. Sunt inimicitiae vel voces inimicitiarum, quae * hominem cum Deo vel angelo coniungant, *sunt* autem etiam, quae ignominiae omnium peccatorum eum dedant. Visne scire esse inimicitias salutares, esse pacem noxiam? Attende : Medicus si medicamen refri- 30 gerationis sive frigidum plagae imponit [in] eo casu [vel eo tempore], quo istud [*non*] [5] expedit, corrumpit eam multosque vermes in eam colligit. Sin autem contra erodens quid sive mordens ei applicat in eo casu vel tempore, quo id opus est, et frigidum imponit ei in eo casu, quo id opus est, incrementum apparet et, qui videt, gaudet, 35 quod plaga paulatim contracta est [. . .

[1] *Prov.*, XVI, 4. — [2] Cf. I *Reg.*, IV, 1-18. — [3] Cf. *Gal.*, I, 8 et sq. — [4] *Ps.* XLVIII, 11. — [5] Ita legendum videtur.

43. De ira Dei.

...] eum totum propter nomen Dei, accepti erunt in ara ecclesiae primo genitorum, qui in caelis scripti sunt, *et* omnibus rebus suis fortunati erunt *et* hostibus suis daemonibus obviam ibunt una via et septem ante se vias superabunt, et Deus animas eorum eri-
5 piet e gladio hostis; eripiet eos ex ungulis canum i. e. daemonum; eripiet a cornu unicornis i. e. diaboli humilitatem[1] eorum; eripiet eos ex omni re mala et salvos transferet in regnum caeleste.

Ceterum hoc scito, vocem in ambitu conventus nostri ter editam esse, quae : « Corruptor, inquit, ad vos intravit, corruptor partem
10 vestri in suam potestatem redegit et captivam abduxit *in terram * p. 196. longinquam, corruptor murum evertit claustrorum conventus vestri corrupitque uvas vitis optimas, ramos decorticavit, ficos contrivit, perdidit malos punicas et pomos et olivas, fructum earum collegit sive decerpsit, humi eas proiecit, arbores optimas et inter vos cel-
15 sissimas abscidit, perdidit agnos gregis, perdidit magnos ovium arietes. Nisi enim residuum per Dominum nobis esset, instar Sodomae essemus et Gomorrhae similes[2] ».

« Intendi furorem meum, inquit Dominus[3], cohibui eum. Num igitur eum in perpetuum cohibebo? Quemadmodum furorem meum
20 cohibeo, eodem modo effundo eum tempore convenienti », inquit Dominus.

Dictum prophetae omnino utique non intelleximus, si illud « cohibui furorem meum » tantum attendimus, neglegimus *autem*, quod dixit : « Effundam furorem meum super parvulos foris ».
25 Verum cum Dominus per prophetam dixisset : « Intendi furorem meum, cohibui eum », eodem loco dixit : « Effundam furorem meum super parvulos foris et super consilium iuvenum simul. Vir cum muliere capietur, senex cum pleno dierum[4] ».

« Intendi furorem meum, inquit Dominus, cohibui eum. » Si
30 cohibuit furorem suum, quo modo eum effudit super parvulos foris? Si effudit furorem suum super parvulos foris et super * consi- * p. 197. lium iuvenum simul, quomodo furorem suum cohibuit? Si vir cum muliere, senex cum pleno dierum capti sunt ira furoris Dei, quomodo dicit : « Cohibui furorem meum » ? Si cohibuit furorem suum,
35 quomodo agri eorum et domus et uxores pariter aliorum erunt?

[1] Cf. *Ps.* xxi, 22. — [2] Is., i, 9. — [3] Ier., vi, 11. — [4] Ibid.

Nonne igitur pater noster Ieremias mendacia dicit, modo quidem : «Intendi furorem meum, cohibui eum», modo autem rursus : «Effundam furorem meum super parvulos foris»?

Sed verbum difficile intellectu non est. Id enim sapiens iam intellexit : «Intendi furorem meum, inquit Dominus, super maleficos, et 5 cum eos paenituisset, cohibui eum. Effundam furorem meum super eos, qui male faciunt et in peccatis suis perennes sunt. Cohibebo furorem meum, inquit Dominus, et parcam parvulis, qui in dies singulos caste vivunt. Effundam furorem meum et iram meam super parvulos, qui in pollutione sunt et impuritate. Parcam adu- 10 lescentibus, parcam senibus, omnibus, qui ambulant in mandatis meis et praecepta mea observant. Cohibeo furorem meum, inquit Dominus, et parcam omnibus, quos paenitet earum *rerum,* quibus me irritaverunt».

Effundam furorem meum et iram meam super omnes, qui sive 15 mares sive feminae libidine inter se incensi sunt vel etiam in p. 198. puerum cupiditate turpi. Non parcam ullis, qui * cupiditate tetra *inflammati,* sive est adultus sive est puer, oscula inter se dant. Effundam furorem meum et iram meam in omnes mares, qui inter se concumbunt in modum peccati sodomitici. Non parcam cuiquam, 20 qui suis ipse manibus audeat se spoliare [1] opere illo sordido et pravo. Effundam furorem meum et iram meam in omnes, qui ipsi vel per alterum se mutilabunt. Ulciscor omnes, inquit Dominus, qui sive mas sive femina quacumque ratione se polluent, et quoscumque omnium harum rerum non cito paenitebit, in eos furorem meum 25 effundam. Non parcam ei, qui foris et intus fraudulenter dat et accipit. Vae ei, qui cum puero mercatum fraudulenter instituit et qui quacunque ratione furabitur et qui res cultus divini aliquas auferet et clam fratribus foras vendet! Exclusus est a societate sancti, quod in caelo est, domicilii. Effundam furorem meum et iram meam 30 in omnes, qui domum Domini Dei sui i. e. conventus nostros delictis et fraudibus implent, nec parcam cuiquam, qui templum meum polluit. His non parcet oculus meus nec miserebor [2] nec interitum eorum animo miserabor, inquit Deus, is qui verba sua in ore prophetae posuit tamquam ignem, nec nos paenituit ipsos instar ligno- 35 rum fieri et devorari.

«Intendi furorem meum, inquit Dominus, cohibui eum. Effun-

[1] Exonerare? — [2] Cf. Ezech., vii, 9.

dam furorem meum super parvulos foris ». Cum autem dicit « foris », significat *, ob quam rationem non perdat insontem cum peccatore nec purum interficiat cum polluto nec iustus se habeat sicut impius.

* p. 199.

5 Dictum prophetae recitabo cum derisione et dolore et aerumna : « Cum anima mea, inquit, ira perturbatur, misericordiae recordaberis [1] ».

Si *tu*, conventus, Dominum Deum non implorabis die noctuque, ut dignus fias, qui quo die interviseris cum pace ad eum accedas, 10 cur tandem etiam magna ista flagitia in conspectu eius admisisti inde a senibus tuis usque ad pueros et ab anibus tuis usque ad puellas, ut cum conturbatione et pudore ad eum adeas?

Vae mihi! Vae tibi! quod timore Dei monitisque *sacrarum* litterarum inducti mentes nostras malitiis maculisque nostris non ablui- 15 mus! Quid est, quod dicamus die iudicii, quod nemo nostrum a se removit peccati voluptates, quibus usque ad hunc diem pravis modis se tradit? Hoc enim nobis a Domino et angelis sanctisque eius crimini vertitur, quod multi foris honorem nobis tribuunt, nos vero innumerabilibus flagitiis opera perpetramus contemptu digna.

20 Quot precationes facis, o coetus, et ieiunia et exercitationes *asceticas* et lectiones et vigilias, quibus detrimentum infers his operibus, quae committis, contemptis atque amaris! Quodsi preces tuae et ieiunia ceteraque bona omnia tibi non sunt, quam ob causam te non continuisti, quin omnes has res abominandas faceres? *Vel 25 quin diabolum his omniaque eius peccata superasti? Nonne miles solet hostes armis suis vincere bellicis?

* p. 200.

Sed pro operibus amaris, quae in tenebris facis, dicam tibi illud Dei auctoritate verbum amarum i. e. Ierusalem demersa est sive inundata [2], quemadmodum hic illi dixit similitudine mirabili, 30 partim cum filiis et filiabus suis sub summam terram descendit in (?) profundum lacum et tenebricosum, quos qui despectat multo labore vix conspicit prae multitudine pulveris, qui ascendit et defluit toto in circuitu illius loci sub incolis suis demersi, quoniam legi Dei non oboedierunt. Qui ex iis, qui in foveam aliquam admo- 35 dum profundam delapsi sunt, nolent ex ea exoriri nec adiutorem prospectabunt? Idcirco vae tibi, quod usque ad hanc horam surgere sive exire ex malitiis tuis et fraudibus noluisti! maxime *quod,*

[1] Hab., III, 2. — [2] . . .

cum oblivione et aberratione(?) delectati essemus instar ovis a quodam daemone errore delatae et instar hominis multo vino temulenti, Domino non succlamavimus, ut nobis auxiliaretur. Quis autem scit peccati, qui sunt in te, admodum studiosos velle ex illa fovea exire tempore propinquo, quo Deus te interviset, ut 5 manum extendat ad te ex loco sub te delapso educendum? Nescis

* p. 201. te non habuisse otium non ob curam operis* manuum tuarum, ut pretium peccatorum tuorum solvas secundum id, quod apostolus[1] omnibus nuntiavit, sed ob curam furti et impuritatis ceterorumque maleficiorum, quae veritatem in te neglegentes caecitate ducti com- 10 mittunt, cum haec pietas tua sit, ne ab hominibus in fraude comprehendaris, quoniam te confirmas in mendacio, quod solvetur eo die, quo Dominus, qui malitias tuas et impietates novit, de te iudicabit.

Quo ibo, ut delitescam? Aut quo tu illo die te abscondes? Ubi 15 est error noster nostraque flagitia? Vel ubi est mendacium nostrum et fraudes nostrae et nostra simulatio? Veniant, ut e manibus Dei nos eripiant die secundum *sacras* litteras[2] constituto, qui peccantibus amarus est atque durus *et* qui perdomet eos, qui a malo non destiterunt. 20

Alia autem etiam res est, quam commisisti nec peccatum esse reputas, magnum malum in te haerens, id est, quod non solum Deum non timuisti, cum in invidiis tuis sis et odiis et contumaciis et impuritatibus et quas committis pollutionibus, sed etiam *quod* turba hominum in te pravorum inter se coniunxerunt *et* in 25

* p. 202. patrem* totius tui gregis exsurrexerunt, ut multo eum affligerent animi dolore, velut eum impugnaverunt et vi oppresserunt et canum ritu ad epulandi locum irruerunt, ut ipso invito, cum mala te evitare vellet, manducarent illo die et potarent, et incidi in eos.

Propter hoc ipsum Deus in illos animadvertit, sicut partes muri 30 subito super eos corruerunt, morte eos afflixit dira et ossium contusione et morbo, aliquos autem ex iis etiam a coetibus suis amandavit.

Multa opera prava qui dolose in te agunt sive mares sive feminae, multis malitiae modis perfecerunt, ut verbo scripto ansam 35 dares dicendi tibi : « Dura facta sunt peccata tua[3] ». Conculcas veri-

[1] I *Cor.*, IV, 12 ; I *Thess.*, II, 9 ; II *Thess.*, III, 8. — [2] *Ps.* XVII, 1 ; AM., VIII, 10 ; SOPH., I, 14 et sq. — [3] IER., XXX, 14.

tatem et puritatem et verba litterarum *sanctarum*, ita ut terra omnium sedum tuarum in te ingemiscat.

Metiris tu quidem cibum statera et comedis secundum mensuram statutam. Comedis autem peccatum, quoad satieris et oppido
5 affluas. Modum imponere scis precationi tuae et lectioni omnibusque rebus bonis ad leges tibi constitutas. Peccata vero committis sine modo aut parsimonia metu Domini vacuus.

Quid ex iis, quae fecisti, Dominus tibi concedet? Qui filios tuos filiasque polluerunt, eos tibi concedet? Qui inter se polluerunt,
10 eos tibi concedet? Qui multis se ipsos modis polluerunt aut qui furati *et* mentiti sunt **et* peieraverunt vel qui haec et alia in te fecerunt, eos tibi concedet? Utique quemadmodum factum est maribus congregatis, eodem modo factum est feminis. Quemadmodum hae offenderunt, eodem modo illi ceciderunt. * p. 203.

15 Omnia vasa immunda consputas et tangere, ut cibum ex iis omnino sumas, recusas, quippe cum tibi abominanda sint. Tangis vero et delibas omnem impuritatem daemoniorum, ut Iesu eiusque angelis odio sis, sicut sues sordes devorantes odio sunt videntibus.

Dico tibi : « Si bona, quae facis, et omnia verba, quae ex *sacris*
20 litteris legendo excipis, servares, Deum opinor nunc in terris tecum locuturum esse, sicut cum multis eorum, qui voluntati eius paruerant, olim locutus est. Verum propter maleficia nostra, cum neque eum intueamur neque vocem eius audiamus, usque ad hunc diem indigni fuimus, quibuscum Dominus esset, sicut cum ali-
25 quibus fuit propter opera eorum bona. Deus non est deus mollium aut masculorum concubitorum aut furum aut pueros puellasque corrumpentium ».

Si domos tuas intras, precaris; sin autem rursus exis, precaris. Si subsidis, lectitas; et rursus si surgis, huc illuc deambulando
30 recitas. Sin autem rursus domos tuas ingrederis, macularis; et si egrederis, hinc inde pollueris.

* Sessio et surrectio et itio tua est pietas; rursus itio et sessio et surrectio tua est impietas. * p. 204.

Esuris et sitis panem et aquam; esuris et sitis etiam flagitium et
35 furtum et mendacium. Satiaris pane et aqua, si tabescis, satiaris etiam crebris peccatis, si tempus invenis huc illuc circumspiciendo, ut percipias, num quis te videat aut num quis tibi superveniat, cum nolis quemquam videre te tibi ipsi mortem consciscentem. Multa sunt tua bona, multa etiam tua mala.

Velut enim homini, qui in malis suis est, cum ad te visendum e longinquo venit, dicis : «Demove a te mala», quamvis tu in malis tuis sis, te apparet convertisse in te illud quod scriptum est verbum : «Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, ut perspicias festucam, quae est in oculo fratris tui, et eicias [1]» — ita agunt illi, qui mala in te perpetrant. Qui si alios, qui in te peccata committunt, reprehendunt, ipsos manifestum est hypocritas esse, qui trabem ex oculis suis ad obtinendum visum non eiecerunt, ut festucam eiciant ex oculo fratris sui. Hoc igitur modo omnibus placuit in impuritatibus suis permanere.

Si retinebis quod scriptum est verbum : «Nolite ergo amplius inter vos iudicare [2]», ut tibi fiat lapsui, quod ipsum non cognovisti, cur hoc non magis decrevisti, ne poneres offendiculum fratri vel scandalum flagitiis et * impuritatibus et furtis et mendaciis? Contrahis tibi quod scriptum est verbum : «In quo enim iudicio de altero iudicaveris, eo iudicaberis [3]», quoniam tu quoque condemnas toto in *orbe* terrarum peccantes et de iis, qui foris ad te veniunt. iudicas iudicio in eos usus, quod a Domino Iesu in te duplicatum est, propterea quod non solum in rebus bonis innumerabilibus eis exemplo non fuisti, verum etiam in multis malis, quae crebris astutiis continentur, offensioni iis fuisti, *quod* non modo bonus odor Deo [4] non fuisti, verum etiam odor malus.

Quot labores et molestiae egestatis et curae huius temporis et destitutiones opulentiae in saeculo te premebant, antequam huius vitae institutum cepisti! Ex his omnibus te Dominus Iesus eduxit pro sua misericordia et caritate, qua te dilexit. Tu vero stupra fecisti et pollutiones et fraudes, quoniam in te amor non inest in ipsum perfectus ad mandata eius servanda.

A barbaris, latronibus, militibus, divitibus, sollicitationibus crebris Deus te saepissime servavit, cum te hac, in qua nunc es, vita dignum redderet, et benedixit tibi, ut cibo aut veste aut ulla omnino re externa non egeres propter iustitiam sanctorum patrum tuorum, non tuam. Satanas, daemonia, spiritus immundos, impuritates, furta, omnium peccatorum discrimina in te congessisti, ut te affligerent et spoliarent et conculcarent.

*E mentis caecitatibus, stultitiis, ignorantiis, stupris, controversiis,

* p. 205. * p. 206.

[1] MATTH., VII, 5; LUC., VI, 42. — [2] Cf. *Rom.*, XIV, 13. — [3] MATTH., VII, 2. — [4] Cf. II *Cor.*, II, 15.

improbitatibus magnis Deus te eripuit, cum pro saeculari tua insipientia eis inhaereres. In prudentias, doctrinas, ornamenta, mandata sancta, virginitates, alias res mirabiles, quas omnes novisti, Dominus, cum hoc instituto te nunc dignum redderet, te introduxit. Et vias
5 tuas, ut scriptum est [1], iterasti.

Ad gratiam vocatus es vitae monachicae. Eam polluisti teque contaminasti maioribus sceleribus et pluribus, quam quae in vita tua saeculari commiseras, vel aequalibus.

Haec cum nunc prudens committas simul cum iis, quae initio
10 imprudens commisisti, et iis, quaecumque tempore futuro perficies, congessisti alia super alia in magnum tibi iudicium magnamque iram tibi impendentem. Per vim fores caelorum tibi praecludis, postquam propter vitae tuae saecularis peccata clausae tibi iterum apertae sunt. Et fores sedis inferorum per vim tibi aperis, postquam
15 tibi iterum occlusae sunt propter pauca, quae vita monachica capessita bene feceras, nunc *autem* maleficiis tuis effregisti, cum virgines tuae mares et virgines tuae feminae proterve pollutae sint.

Si veniet tempus, quo Dominus te inviset, ut multi in te paenitentia serventur, veniet etiam tempus, quo permulti in te magna
20 admittent peccata.

*Si pudore sanctorum, qui in te sunt, patrum prohibitus non es omnia haec mala perpetrare, quid tibi fiet isto tempore? *p. 207.

Si de malis ad mala, ut scriptum est [2], egressus es, quid tu differs ab omnibus peccatoribus? Qua in re ipsis iustior fuisti, ut exsecra-
25 tionem iis inflictam effugias?

Prophetae, evangelia, apostoli, multa scripta, institutiones sanctorum, multa mandata et doctrinae, quae exsequeris et audis a patribus tuis, qui te congregaverunt, testes erunt adversus te omnes die iudicii ob ea, quae nunc perpetras, opera.

30 Quomodo isto die intuebere in os Domini? Pudore implebere non solum ob impuritates puerorum puellarumque tuarum, sed etiam *ob* flagitia et furta et fraudes virorum feminarumque, qui in te sunt, adultae aetatis. Quo vultum tuum convertere poteris coram omnibus sanctis? Quo pacto intueri poteris in os primi patris nostri, qui
35 moriens nos peccare vetuit? Qui te non condemnabit? Saepe enim eum te congregato vidi stantem tecum*que* colloquentem in domo Dei *et* verbum, quod ex ore eius processit primum, ori tuo ingeren-

[1] Cf. Ier., ii, 36. — [2] Ier., ix, 3.

tem, ut id recitares et post ipsum repeteres, ut tibi testificaretur se ipsum de te iudicaturum esse, quia te iussit omnem labem cavere et omne flagitium et omne mendacium omnemque rem pravam. Quis
* p. 208. unquam praeter sanctos sicut ille * de peccatis alterius deploravit? Etenim vide [... 5

44. De hominibus malis.

Sinuthii oratio.

Vidi ego aliquem, qui, si serpentem vel draconem ceperat *et* interfecerat nec magna ira, qua flagrantem eum contemplari spectaculum erat, inflammatus satis habuerat caput eius conterere ac totum eius corpus destruere, haec dicebat : «Inimice et iste, quem 10 inter et hominem Deus inimicitias posuit [1], cur genus tuum ab initio exstitit instrumentum diaboli eumque in se recepit, semen malignum?» Tandem vero cum hominem eum esse cognossem, hoc modo fore intellexi, ut fieret omnibus animis humanis, quae sedes sunt satanae; qui in iis vel per eos ipsos a Deo multos homines avertit. 15 Si die vindictae [2] vae est iis, qui nunc aperte ad eum pertinent i. e. homines impii, quanto magis etiam iis, in quibus occulte habitat i. e. iis, qui committunt naturae repugnantia inter eos, qui ipsos reputant pios. O illos, qui erunt die irae, si hunc in modum
* p. 209. Deus magnam illam severitatem exercebit! *Audite! Quis unquam 20 dicet hominibus : «Discedite a me [3]!» vel : «Nescio vos [4]», nisi prius sedes diaboli fuerint? Si igitur in iis habitat, qui eum non receperunt hospitem [5], et in iis est, quibus dicet : «Nescio vos», quoniam quae oportet facere oppido neglexerunt — illis quidem, quia cibum *aut* potum ei non praebuerunt, his *autem*, quia oleum secum non 25 sumpserunt — quanto magis in violentis habitat et adulteris et inimicis (?) mollibus et masculorum concubitoribus [6] et in omnibus Christi membra maculantibus! Aut quo pacto dicet : «Discedite a me»! vel: «Nescio vos, qui vel unde sitis [7]?» Peccata enim gentilium et omnium eorum, qui simulacra daemoniorum adorant, 30 non soli Deo, verum etiam ipsis hominibus manifesta sunt. Neque nox solum, sed etiam dies impietates eorum testificatur. Nos

[1] Cf. *Gen.*, III, 15. — [2] Cf. *Eccli.*, V, 10. — [3] Matth., XXV, 41. — [4] Matth., VII, 23; Luc., XIII, 25, 27. — [5] Matth., XXV, 35, 43. — [6] I *Cor.*, VI, 9 et sq. — [7] Luc., XIII, 25, 27.

vero nomen Dei celebramus, cum nostra hominibus incognita, Deo autem manifesta sint. Et testatur nobis opera nostra ille dies, qui nos simul cum ipsis patefaciet. Improbum esse iudicavi celare eos, ex quibus morbum illum cognovi et quos cognovi ex illo morbo.

Aliud etiam animal vidi subcandidum sive *albidum in devorantia se incidisse vivum *et* inter ipsa vexatum; cum ab iis discedere vellet, non effugit, quoad exstinctum est. Et miratus sum, quod unum id impugnabat, deinde facta sunt duo, tum facta sunt tria et quattuor et decem et centum et sescenta animalia, quae super illud concurrerunt, donec periit.

* p. 210.

Aliud porro vidi animal sive obscuratum sive etiam caecum — non potui percipere, quoniam oculi eius visu difficiles erant — ultro citroque commeans *et* sua sponte se movens. Velut si ligatum esset, ad partem septentrionalem et meridianam et orientalem et occidentalem currebat. Nec ad ullam earum procedere potuit neque e loco, quo erat, excessit, quamvis magna se spatia emensum esse existimaret. Dum hominem Dei metuentem, quem mihi proximum video, mecum cogito inclamare: « Veni et vide hanc animam, quam satanas occaecavit sive obscuravit, quae Deo se appropinquasse arbitratur, cum ab eo se amoverit, et cuius cursus sive conversio in se ipsam in modum molentis nequiquam est, venidum et vide unum in hac anima daemonium sibi invenisse locum, deinde omnia haec in eam convenisse, ut omnia sceleribus eius satiarentur » — et tum etiam antequam vocavi, ut veniret, ecce species hominis, qui velox sive cito incedens illa praeterierat, * magnum fulmen per se ipsum in ea emisit, ita ut ea confoderet in corporibus, in quibus inerant, et ope potentiae, quae penes eum erat, corpora confoderet simul cum ipsis, priusquam utique ad diem summae transverberationis pervenissent. Ea enim res est res eorum hominum, quorum animae maxime impletae sunt spiritu diaboli, et res patientiae eorum hominum, qui steriles sunt vel in quibus perditor fructum perdere maturat. Qui sunt animi humani ex iis, qui has improbitates admittunt, in quibus satanas non sit, cum eas in ipsis facit et ipsi per eum *faciunt* seque simul cum eo perdunt, cum eorum in se ipsos invidia maior sit invidia illius? Hi homines sunt, de quorum animis ut obscurentur loquuntur mulieres, quae per fissuras sive foramina spectant; qui bonum sciunt *et* denuntiant bonum, qui voluntatem sciunt *et* salutaria probant, qui multis praecepta dant. Nobis quidem ipsis non damus. Doctrina exsecrabilis, et exsecrandus cum ea is, qui dicit :

* p. 211.

«Ne perdideritis vasa, pro quibus Christus mortuus est» et ea perdit.

Aliud porro vidi animal; sicut multa fuerunt, quae comedit, plura fuerunt, quae id comederunt. Cognovi, si improbitates hominis multae fiunt, spiritus daemoniorum in eum vel super eum augescere, 5
* p. 212. quoad eum destruunt neque ad aliud opus *sive aliam rem aptus est. Vae mihi, vae membris corporis, in quibus hic morbus est, quia non solum ea retrahit sive occupat, ut retro, non porro eant, verum etiam tradit ea exsecrationi *sacrarum* litterarum et irae, quotienscumque aestus et flamma eius in ipsis non iam manebunt. Illo enim die 10 sciemus nos, qui dicimus : «Iesum cognovi», haec facientes potius eum ignoravisse. Profecto in iis, qui haec faciunt, non scientia inest, sed caligo. Si igitur caligo est, quanto magis etiam opera tua caligo sunt. Profecto si te non novisti, non novisti eum, cui dicis : «Filius meus est» vel : «Frater meus est» vel : «Filia mea est», ne tibi vel 15 illis haec mala inferas. Ex qua re Deum novisti? Non caeci mares cum maribus solum in iis viis incedunt, quarum exitus deducit ad regiones, quibus nihil est profundius apud inferos; verum profecto plures etiam sunt caecae cum caecis feminis, quae in iisdem viis currunt hilares, quaedam in iisdem vestigiis in ipsis — illis viis — aliae, 20 quarum vestigia inter se differunt, sicut etiam viae earum inter se
* p. 213. differunt, rursus autem una via est, cuius flexus sive ambages *abundant. Dei enim templum sive templa non sunt loca, ubi ludatur et ioca agantur et ineptiatur et stulta vecordiaque pronuntientur, maxime flagitium et furtum et contumelia et murmuratio et que- 25 rela et ebrietas et inimicitiae et aviditas et rapina et rixa et iurgium et invidia et odium et pervicacia et contumacia, ob quam quidem omnis licentia orta est; sed loca sunt, *ubi* de peccatis nostris lugeamus vel, ut peccata vitemus, *precamur,* ut nos quoque verbis participemur sapientium prophetarum et prudentia consilioque praedito- 30 rum, quos res vanae non sollicitant, sicut significatur verbo : «Ut consolarer omnes lugentes, ut gloriam pro tristitia darem lugentibus de Sion [1]». Animas autem nostras miseras pro Sion damus, ut nobis solis lugeamus. «Pro cinere autem oleum gaudii lugentibus et stolam gloriae pro spiritu maeroris [2]». Homo si de se ipso non 35 dolet, quomodo de altero lugebit? A lugentibus enim secundum Deum luctum Deus utique auferet, sicut etiam lugentibus sola-

[1] Is., LXI, 2. — [2] Ibid., LXI, 3.

cium afferetur. Qui non secundum Deum *lugent, eos Deus utique luctui tradet, ut scriptum est [1] : «Et luctum non dolentibus», sicut etiam dixit : «Dedit illis Deus spiritum compunctionis [2]». Quid porro est : «Non dolentes?» Ob quam rem sive de qua re, nisi de impietatibus, quas toto orbe terrarum committimus? Multi enim secundum mundum propter sua lugent suo quisque modo. Pauci vero de rationibus Christi lugent, cum non sit, qui eas sectetur inde a perditis usque ad eos, qui ei emoriuntur. Et qui haec faciunt, utique illi ipsi vocabantur «generationes iustitiae, plantatio Domini ad glorificandum [3]». De anima autem porro et corpore sive toto homine eorum, qui solitudines et vastitates facti sunt loco regionum cultarum et urbium, dicetur : «Instaurabunt loca deserta et ante vastata, urbes desertas renovabunt in aeternum et in saecula [4]». Vastitas autem et solitudo est, quia nihil bonum in iis fuit neque angelus aut spiritus Dei attendit homini tempore impietatis primordiali, priusquam Iesum cognovit... [5] si Deus primos homines in paradiso propter unum delictum non *retinuit, quo pacto ad eum recipiemur universa haec maleficia perpetrantes? Profecto mihi equidem honoratus non sum, honoratus sim Deo.

*p. 214. — *p. 215.

45. De rebus caelestibus et terrestribus.

Sinuthii epistula.

Quaenam res de iis, quae in domum exteriorem adhibitae et datae et in ea dispositae sunt usque ad lampades et lucernas et oleum, non sunt omnes terrestres? Et stabilis est usque ad tempus suum et sua hora lucis plena nec ventis quatitur, quippe cum bene constructa sit.

Quae vero in interiorem *domum* adhibita et data et in ea disposita sunt usque ad lucernas et oleum, non sunt cuncta caelestia? Et non solum anguli tenebricosi ac tegulae ventis illis vehementibus et turbinibus deiectae abundant, verum etiam anguli hiantes abundant et aliae partes mediae partim vacillant, partim intra et extra pendent et multa in ea cubicula inclinata sive distorta sunt, ita ut magnae in iis rimae sint, ac si tota domus resederit vel saepe commota sit, quoad omnes hae declinationes exstiterunt.

[1] Is., xl, 29 (LXX). — [2] Is., xxix, 10; *Rom.*, xi, 8. — [3] Cf. Is., lxi, 3. — [4] Ibid., lxi, 4. — [5] Si nescimus; ἀνακόλουθον videtur.

46. De ecclesiarum sanctitate.

* p. 216. * Sinuthii.

Ab initio enim huius sermonis usque ad finem, quaecumque in hoc volumine scripta sunt, nos condemnant ob naturae contraria, quae maiorem hominum partem, mares et feminas, occupaverunt, et porro propterea, quod in aede et sacrariis Dei Christi sumus, ut nos purgemus fiantque ipsa quoque sancta, quoniam illa hominem non purgant nec polluunt, verum homo ea purgat, homo etiam ea polluit. Inde ab omni tempore dictum non est sacraria Dei polluisse hominem, sed cum homine potius pugnare, quod ipsa polluisset. Si homo se non polluit, sancta sunt propter sanctum, qui in iis habitat : Iesus et Pater eius et Spiritus. Sin autem nos ea polluimus, iudicium eius, quem diximus, rursus super nos venit, uti per prophetam [1] dicit : «Alienum mihi fecerunt locum istum». O, unde igitur sunt hi torrentes, qui in pectora nostra se effundunt et in animas nostras, quae iis non replentur instar maris, quod omnibus aquis manantibus, quae in illud decurrunt, non completur[2]? Ubi * p. 217. * porro is est, qui hac voce significatur : «Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum[3]»? Sed ipse profecto sanctior erit in perpetuum. Ipse quoque est, qui se ipsum polluere nequit. Si vero nos etiam polluimus, ipse erit sanctus, donec venit, qui venturus est[4], ut diiudicet inter sanctum et pollutum[5].

Quae de iis rebus, quae in domum exteriorem datae sive adhibitae et in ea dispositae sunt usque ad lampades et lucernas et oleum, non sunt cunctae terrestres? Et stabilis est usque ad tempus suum et sua hora lucis plena neque ventis quatitur, quippe cum bene constructa sit.

Contra vero quae ex iis, quae in interiorem *domum* adhibita et data et in ea disposita sunt usque ad lucernas et oleum, non sunt cuncta caelestia? Et non solum anguli tenebricosi ac tegulae ventis illis vehementibus et turbinibus deiectae abundant, verum etiam anguli hiantes abundant et aliae partes mediae partim quidem vacillant, partim intra et extra pendent et multa in ea cubicula inclinata * p. 218. et distorta sunt, ita ut magnae in iis rimae sint, *ac si tota domus saepe commota sit vel resederit, quoad omnes hae declinationes exstiterunt.

[1] Ier., xix, 4. — [2] Cf. *Eccl.*, i, 7. — [3] *Ps.* xcii, 5. — [4] Cf. Matth., xi, 3. — [5] Cf. *Lev.*, x, 10.

Benedictus sis, Domine omnipotens, Deus benedicte! Hanc aedem sive has aedes, quas in nomen gloriae tuae sanctae exstruximus, replebis hominibus ad vitam, replebis populis ad vitam; non has solum, verum omnia tua templa totius orbis terrarum. Ab omni
5 perturbatione eas custodies in integra tua pace. Amplius eas implebis hominibus ad vitam inde a maribus usque ad feminas et pueros puellasque in aeternum et in consummationem mundi.

47. De iudicio finali.

Sinuthii sermo octavus.

Sermo, *quo monetur,* ut suam quisque vitam conservet inviolatam,
10 imprimis vero qui in ordine sacerdotali et monachico sunt.

Die trigesimo *mensis* choiac in [patrem] nostrum...

Sancta evangelia toto hoc * tempore lego amplius sexaginta annis * p. 219. et verbis eorum utor amplius quadraginta tribus annis, ex quo sancti parentes mei acquieverunt. Et hoc verbum mihi patefactum
15 est — cognovi id nunc hoc ipso anno, cum Ephesum venissemus — id est : « Cum venerit Filius hominis — filius hominis secundum dispositionem salutarem, Deus autem et filius Dei secundum divinitatem — tunc sedebit super sedem maiestatis suae *et* congregabuntur per angelos eius omnia genera hominum et ante eum constituen-
20 tur, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis[1] ». Hoc indago et in hoc inquiro.

De praeceptis autem : « Esurivi *et* dedistis mihi manducare sive non dedistis mihi manducare [2] » et quae haec sequuntur, cottidie dicimus.

25 Sed animus meus ea re, quae nunc mihi est aperta, conturbatus est. Videte enim eum non dixisse : « Separabit feras ab ovibus ». Neque enim fieri potest, ut lupi forma nativa induti ovibus permisceantur. Fortasse homines, qui ingenium ferarum induerunt sicut illi, de quibus Dominus discipulis suis dixit: « Mitto vos sicut oves
30 inter lupos [3] », immutati et mansuefacti cum ovibus miscebuntur. Verum oves dicit et haedos. Numquid haec duo genera, quae in hoc eodem ovili sunt et his eisdem pascuntur herbis* et ex his * p. 220. eisdem aquationibus potant, toto suo tempore inter se non assueve-

[1] Matth., xxv, 31 et sq. — [2] Ibid., xxv, 35, 42. — [3] Matth., x, 16; Luc., x, 3.

runt? Numquid si inter se separantur — oves *illae* quidem, ut in pascuis et umbraculis et aquariis quiescant, haedi autem, ut ira pastoris in loca deserta et ventosa abigantur — nonne ovibus clamitabunt? Aut si anima in iis non esset belluina, non exclamarent : «In hoc eodem ovili atque vos eramus simulque pascebamur, una-*que* potabamus et sub umbra requiescebamus» ? 5

Quid est illud fulmen, quod in nos irruit? Nonne e parabolis Domini sapientes iam cognoverunt eum venturum esse, ut immisericordes a misericordibus secernat et pollutos a puris *et* malos a bonis *et* incredulos impios*que* a piis fidelibus*que*? Nonne igitur 10 separatione facta quilibet plorans, licet non sit, qui ipsum auditurus sit, vocem mittet, quando eos videbimus, qui vitae cursum confecerunt Deo accepti bonisque operibus splendidi? Oportet enim nos inter nos conspicere, singulos secundum suos ordines; primum quidem episcopi, pariter presbyteri et diaconi, qui in eadem 15 sunt parte, vident eos, qui munus bene curarunt aliaque, quae facere eos decet, opera omnia, et monachus sive anachoreta socios suos monachos. Acerbe * exclamabunt : «Nonne in eodem templo et eodem coenobio eramus? Et nonne eosdem libros *sacros* legebamus aut non de eodem sumebamus mysterio?» Ita etiam populus 20 impius populo pio, qui Deum agnovit, et princeps principi *et* dives diviti et miles militi atque adeo latro, quem non paenituit, ei, quem paenituit, omnesque a peccatis non revocati iustis atque etiam filius pestifer patri sancto. Ita etiam frater pollutus fratri puro et vir malus adulterque uxori suae honestae et bonae et iudex 25 iniustus, qui ius flexit, integre atque incorrupte iudicanti. Ne igitur multa dicamus : Quicunque improbe agunt, probe facientibus inde a regibus usque ad omnes principes et magistratus et duces et homines omnes. Neque alia amplius res erit in eis, qui sunt a sinistra, nisi animi dolor et probrum et luctus aliaeque miseriae et aerum- 30 nae. Et malum est probrum, quo se quisque ipsum vexat sicut ipsa quoque sedes inferorum et ignis gehennae, alii : «In urbe eram cum hoc», alii : «Miles eram cum illo». Annon miserum illum, qui, cum Dominum cruci affixum conviciis consectaretur [1], gratia indignus fuerat, animum oportet lacerare, si socium suum 35 latronem secum suspensum viderit in paradiso voluptatis constitutum ? Ergo nemo se ipsum *seducat [2]. Sicut enim non est voluptas

* p. 221. — * p. 222.

[1] Cf. Luc., xxiii, 39. — [2] Cf. I *Cor.*, iii, 18.

maior, quam quae erit eis, qui erunt a dextra, *ita* ne alius maeror quidem est maior, quam qui erit eis, qui erunt a sinistra. Bene evangelium ante tempus nos docuit, quae nobis futura sint. Melius, si a peccatis nostris recedimus, ne forte dolor animi atque gemitus
5 nobis contingant loco omnium, quae nos decent, *et* delectamentorum et gaudiorum. Qui enim iam mortui sunt, etiamsi Deo divites sint vel etiam egeni, magis autem qui in peccatis suis decesserunt et ii, qui regiones quietis *sive* invenerunt sive non invenerunt, in sua condicione sunt. Quod praeteriit, id praeteriit. Nos autem vivi ita
10 nobiscum meditemur et percipiamus, quid facere nos deceat. Et si Christo divites sumus, melius est. Sin minus, etiamsi egestas *est*, peccatum *et* oderimus et conculcemus simulque eum, qui ipso operatur, diabolum, qui unus idemque est atque ira, quae in nos descendit a fabricatore universi, Deo virtutum praepotenti sabaoth,
15 unus idemque ac sedes inferorum et ignis ei paratus a Christo Domino et rege universitatis, qui magna ira furoris sui eum dissipabit circumstantibus omnibus animis humanis, quae eum tota mente quaerunt et toto animo amant obsecrantes, ut det sibi virtutem alios amandi, et totis cogitationibus.
20 * Quod autem saepe dixi, id repetam : Deus nihil faciet sine nobis. * p. 223. Sed potius vult nos fieri parvulos, ut det nobis perquam magna, quae sunt immoderata iis, quos ipsis dignos reddet. Scriptum est enim : « Bonorum hominis non eges [1] » Servus autem... [opera] eius facere. Deus vero universitatis indiget ille quidem servis suis,
25 ut ad regnum caelorum quoddam bonis operibus assequendum se comparent? Neque enim soli opus est lumine milium lucernarum. Sed quod desiderat ab iis, qui eas accenderunt, sunt oculi ad lumen suum videndum. Ita etiam se habet Deus universitatis eiusque Christus. Non eget operibus, quae ei exsequamur. Verum quod a
30 nobis postulat, hoc est, ut oculi mentis nostrae ab ipso illuminentur sciamusque hoc eum a vere piis requirere, ut heredes fiant eius regni, quod eis paravit a constitutione mundi [2]. Et si illud eis, qui sunt a dextera, promisit pro sex operibus [3], si ea fecerunt, quanto plus promittet eis, qui omne bonum perfecerunt cum omni inte-
35 gritate et bonitate, postquam semen large et non parce [4] sparserunt, ut largum quoque fructum perciperent, omni tempore pre-

[1] *Ps.* xv, 2. — [2] Cf. Matth., xxv, 34. — [3] Cf. Matth., xxv, 35 et sq. — [4] Lege cum A ϩⲛⲟⲩⲧⲥⲟ ⲁⲛ.

cati, ne amare Deum neglegerent et ut voluntates eius omnes in se essent factu iucundae praeter omnia bona externa utque daret sibi virtutem sui adorandi in spiritu et veritate [1] et ut nos ei submitteremus eumque obsecraremus, *ne fieremus instar [pravo]rum neque improba agentium; more enim faeni festinanter arescent et more olerum viridantium cito decident[2]. Ita... Beati autem, qui perseverant usque ad finem et exitum eius observant! Ipsi exaltabunt[ur...

*p. 224.

(*lacuna*)

...[fines eius, verum ut hoc reputet esse utile, quod se ipsum noverit. Nam res creata, antequam, ut dixi, se ipsa novit aut perspexit, quae sit vis animae, quae sit natura corporis, unde sint ea, quae sunt, qua ratione quaedam alia procreent, quomodo id, quod non est, fiat et id quoque, quod est, esse desinat, qualis sit convenientia huiusce mundi, qui ex rebus inter se repugnantibus constat. Sed res creata si se ipsam ignorat, quo pacto disseret de rebus sua natura sublimioribus ?

Nonne tempus est haec terminandi? His enim terminare bonum est. Tempus est his verbis nos loqui, hisce vita nostra virtute ornata erit in Christo Iesu, Domino nostro. Huic gloria in saecula saeculorum! Amen.

Octavus sermo. VIII.

[1] Cf. Ioh., iv, 23. — Cf. *Ps.* xxxvi, 2.

*ADDITAMENTA.

* p. 225.

I. CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI EPISTULAE, QUAE AD SINUTHIUM VIDENTUR SCRIPTAE ESSE.

A. — ...] ut reverentiam tuam salutem per Didymonem, honestum lectorem, quem quidem constituerunt ad scripta religiosis antiquitatis digna episcopis divulganda. Hunc igitur nunc facimus... Doce autem (?) me pro Dei caritate omnes res, quae mihi gaudium
5 afferunt. Bona semper reverentia tua utatur valetudine et instituat certaminibus vitae monachicae pro consuetudine, quam monachis auctoritati tuae obtemperantibus expedire apparet.

B. — Eiusdem Cyrilli.

Magnus rumor est et a clericis constantinopolitanis mihi scrip-
10 tum est regem pium et Christi amantem constituisse, ut aliquem ex sui studiosissimis mitteret, qui me et te incitaret, ut nos ad ipsum conferremus, nec rationem recusandi, ut manifestum est, inveniemus. Exopto igitur nunc, ut pietas tua Alexandream veniat idque faciat festinanter, ut, si * opus sit, una proficiscamur. At interim
15 cave, hoc per externos divulgetur, sed tu quidem solus scito. Contende venire!

* p. 226.

C. — Eiusdem Cyrilli.

Data est mihi epistula reverentiae tuae, qui iucunditatem eius haud ignoro. Neque enim pigritia tuum ad nos iter inhibuit, verum
20 morbus corporis et molestia quaedam in visceribus vel costis tuis abdita. Ego vero ubi hoc comperi, maerore affectus sum magno. Verumtamen precor, ut id, quod te corripuit, effugias et sanitatem recuperes animae et corporis et pro consuetudine proficias monachosque, qui in manu tua sunt, instituas ad omnem [rem] Deo accep-
25 tam. Nos autem ipsi per tuas preces salvi sumus, et utinam caritas tua quoque hoc proferre possit et ad nos venire fruique nostra cura pro consuetudine bona.

II. HYMNI SINUTHIANI.

HYMNUS PRIMUS[1].

(Carmen) modulorum «rubi» in sanctum abbatem Sinuthium;
legas 7° (die mensis) epiphi.

1 Custodi nos, o Christe, Deus noster,
rogatu patronae
Mariae, matris Christi, Dei nostri,
et abbatis Sinuthii archimandritae.

2 Honor tibi convenit, 5
* sodalis apostolorum, * p. 227.
et rursus ille celebratur,
qui est Sinuthius.

3 Etenim magnus ille Sinuthius,
Sacerdos *et* archimandrita, 10
collocutus est cum Christo rege
sicut Moyses legislator.

4 David, rex iustus, dixit[2] :
«Iustus florebit in domo Domini
sicut arbor cedrina», 15
qui est Sinuthius.

5 Si autem iusti rursus est
recordatio perpetua et sempiterna,
profecto tu iustus es,
in vitam intrasti aeternam. 20

6 Multae sunt tuae austeritates(?),
o magne Sinuthi,
studiaque tua castimoniae,
o sodalis Dei Verbi!

[1] Carmen per strophas alphabeticum. — [2] *Ps.* xci, 13.

7 Ecce nos celebramus te
psalmis et canticis
et exclamamus : « Salve,
o magne Sinuthi! »

5 8 Exsultate hodie, regiones Aegypti
et fidelium popule,
die festo moderatoris,
sancti Sinuthii.

9 Iesus Christus creator
10 * docuit te de mysterio * p. 228.
his temporibus novissimis,
o maxime in eius palaestra!

10 Dominus sanctum pulchre
iam inde ab infantia elegit,
15 sacerdotem Sinuthium,
sodalem angelorum.

11 Omnis populus orthodoxus
saltat patri nostro magno,
insigni *et* spiritu praedito,
20 ascetae abbati Sinuthio.

12 Concurramus, o carissimi,
et honoremus ascetam,
sacerdotem Dei Sinuthium,
insignem archimandritam.

25 13 Miserere nostri et audi nos,
eripe nos ex insectationibus,
aufer a nobis iram tuam
sancti causa Sinuthii.

14 Benedictus sis, o Christe, domine noster,
30 cum patre tuo optimo
et Spiritu sancto adiutore
et sancto Sinuthio.

15 Magnus est sancti honor,
maxime eximii ascetae,

qui quidem sedet cum Christo rege,
abbas Sinuthius archimandrita.

16 Sanctus Sinuthius,
sacerdos Dei celsissimi,
* qui in bello suo saltu(?) — 5 — * p. 229.
... animo vexato.

17 Laetamini, iubilate, o monachi,
qui estis in aliquo monasterio
patris nostri Sinuthii,
sancti abbatis Sinuthii. — 10

18 Respice et audi nos,
o Salvator bone,
aufer iram tuam a nobis
magni causa Sinuthii.

19 Supplicamus tibi pro sacerdotibus; — 15
aquis earumque sationibus et fructibus
et pluviis benedic
sancti causa Sinuthii.

20 Fili Dei, custodi hos, patres
et fratres ministros; — 20
tutare eos, Domine noster, ob terrorem
et vexationem huius mundi.

21 Domine Deus, auxiliator noster,
exaltare cornu christianorum
rogatu Deiparae — 25
et iusti magni*que* Sinuthii.

22 Salve tu, o virgo
Maria, mater Domini tui;
salve, magne Dei gestator,
abba Sinuthi, archimandrita. — 30

23 Cuivis animae cedo refrigerium
in sede Virginis
et Abrahae *et* Isaac *et* Iacobi
et iusti magni*que* Sinuthii.

24 * O Domine noster, Iesu Christe, * p. 230.
et mater eius virgo,
mementote minimi
o ... et tuorum fidelium.

5 Si [psallimus].

HYMNUS ALTER[1].

(Carmen) modulorum «Adami» in sanctum patrem Sinuthium;
legas 7° (die mensis) epiphi.

1 Obsecro te, mi Domine,
ignosce mihi, o optime,
Deiparae causa
et sancti Sinuthii.

10 2 Auxiliare nobis, Christe,
o Christe, Deus noster,
matris tuae causa, dominae tuae,
et iusti Sinuthii.

3 Etenim ipse eminet
15 inter sanctos,
fama illustris magna,
sanctus Sinuthius.

4 David enim inter nos
cum iustis *versatur*
20 honoris causa illius magni
et sancti Sinuthii.

5 Miserere nostri,
o Domine mi, Christe,
Mariae causa, matris tuae,
25 rursus cum alia sapientia [2].

6 Placide se extulit
* altius monachis; 231
ipse enim sedit
et colloquium cum Christo seruit.

[1] Carmen per strophas alphabeticum. — [2] Stropha ζ omissa est.

7 Congregamini, o gentes
Iesum Christum amantes,
ut amplos tribuamus honores
sancto Sinuthio.

5

8 Iesus hominum amator
iustum elegit
iam inde ab infantia,
sanctum Sinuthium.

9 Praeclare ad nos venis
hodie, o iuste,
praestantissime in eius certamine,
sancte Sinuthi!

10

10 Populus fidelium
choreas ducunt pulchras,
homo perfecte,
sancte Sinuthi.

15

11 Conveniamus omnes,
o christiani,
et festum agamus nomine
sancti Sinuthii.

20

12 Patres nostri monachi
festum tibi agunt bellum,
o Spiritu imbute,
sancte Sinuthi!

25

13 Admodum emines
in medio caelo
plus sanctis omnibus,
sancte Sinuthi!

* p. 232.

14 * Magnus est honor tuus,
o asceta,
o archimandrita,
sancte Sinuthi!

30

15 Nomen tuum sapientiae plenum,
o sancte,

in administratione,
sancte Sinuthi!

16 Gaudete, o fideles,
Iesu Christi nomine
5 et iusti
sancti*que* Sinuthii.

17 Aspice *et* audi nos *orantes*
pro aquis et fructibus,
sed etiam sationibus :
10 utinam laete crescant!

18 Quaesumus te : Miserere nostri,
o optime,
matris tuae causa et nomine
sancti Sinuthii.

15 19 Fili Dei, Deus noster,
vindica populum tuum
a timore
et consilio gentium.

20 Deus hominum amator
20 et optime,
ignosce mihi peccata
Sinuthii gratia.

21 Salve Virgo,
* mater Iesu Christi;
25 salve, iuste
et sancte Sinuthi!

* p. 233.

22 Animis patrum nostrorum
da requiem, Christe,
Deiparae beneficio
30 *et* sancti Sinuthii.

23 O Domine noster, memento
famuli tui Nicodemi
et peccata eius condona
sancto Sinuthio.

35 Ceterum, [si convenimus etc.].

HYMNUS TERTIUS.

In sanctum abbatem Sinuthium.

1 Profecto enim vere
decus *tu* montis Atribis
per preces tuas pias
magnumque tuum certamen,

2 Pater noster, abba Sinuthi, 5
amice Christi,
currus Israelis [1]
et propheta honorande!

3 Gaudet tecum Deus
Iesus Christus Dominus 10
et dedit tibi [2] salutem,
o archimandrita.

4 Ro[ga pro nobis Dominum],
* p. 234.
* mi domine, pater asceta,
abba Sinuthi, archimandrita, 15
ut [nobis condonet nostra peccata].

HYMNUS QUARTUS [3].

(*Carmen*) *modulorum* «*rubi*»; *legas die* 7° *mensis epiphi, obitu sancti et fortis abbatis Sinuthii, monachorum principis.*

1 Profecto hodie nobis exoritur
memoria tui, o asceta,
sodalis Christi, regis gloriae,
abba Sinuthi, usque ad extremum. 20

2 Singuli fidelium
et filiorum ecclesiae
diem festum tibi, o iuste
abba Sinuthi, celebrant canticis.

[1] IV *Reg.*, II, 12. — [2] Lege ΝⲀⲔ. — [3] Carmen per strophas alphabeticum.

3 Etenim maxime emines
medios inter athletas
vita tua gloriae plena,
abba Sinuthi, usque ad finem.

5 — 4 David rex in psalmis :
* « Iustus floret in domo Domini [1] — * p. 235.
et bene multus est
in mandatis Domini [2] ».

5 Hic est Sinuthius,
10 — iustus ille, archimandrita :
ipse cum Christo locutus est [3]
sicut Moyses legislator.

6 Multa(?) sunt [4] magna illa miracula,
quae quidem nostris precibus patravit
15 — in conspectu filiorum hominum
virtute Christi Emmanuelis.

7 Ecce aegrotos sanavit
et caecis oculos restituit
et mortuos resuscitavit
20 — et daemones expulit.

8 Tua est virtus et maiestas,
o bone salvator noster;
ignosce nobis, quaesumus, rogante
Sinuthio, Christi sacerdote.

25 — 9 * Iesus Christus, Dei filius, — * p. 236.
iustum elegit et sanctum
patrem nostrum, abbatem Sinuthium,
decus monachorum.

10 Constantinus, Christi amator,
30 — gloriam vidit monachorum,
maxime *et* praecipue iusti
Sinuthii presbyteri.

[1] Cf. *Ps.* xci, 13. — [2] *Ps.* i, 2. — [3] Lege ⲛⲑⲟϥ ⲁϥⲥⲁϫⲓ (B). — [4] ϩⲉⲟϣ = ⲥⲉⲟϣ (?).

11 Dicite gloriam, o ascetae
et patres nostri monachi,
die festo archimandritae,
sancti Sinuthii.

12 Da mihi, Domine, partem 5
et portionem cum iusto
magno*que* abbate Sinuthio,
homine Dei perfecto.

13 Tu magnus inter ascetas,
sodalis angelorum, 10
abba Sinuthi, archimandrita,
vere propheta.

* p. 237.
14 * Emines e medio consessu
patrum nostrorum orthodoxorum,
o pater noster, sancte Sinuthi, 15
ut ait pater noster Cyrillus.

15 Magna enim est gloria tua,
o pater noster Sinuthi!
Ignosce nobis, Domine, ipso rogante,
da nobis nostram christianorum perfectionem. 20

16 Sanctus Sinuthius,
sacerdos Dei celsissimi
qui in bello suo saltu(?)
. . . .

17 Vigila pro nobis et dissipa 25
inimicos ecclesiae,
contere eos et deprime
Sinuthii causa usque ad extremum.

18 Bea nos tua salute,
res nostras : fluvios 30
et sationes et pluvias
et fructus : haec prospera.

19 Rogamus te, o Domine noster, Christe,
pro sacerdotibus et diacono;

Sinuthii gratia libera eos
daemonum e laqueo.

20 Iam patres quoque nostros monachos
et reliquos christianos
5 corrobora, o Domine noster, Christe,
sancti Sinuthii gratia.

21 * Domine Deus, auxiliator noster, * p. 238.
cornu eleva christianorum
rogatu Virginis
10 et lectissimi sancti Sinuthii.

22 Ave, Dei genetrix,
Maria, mater Domini;
ave, spiritus brabeum adepte,
Sinuthi, qui es [1] archimandrita.

15 23 Omnis anima orthodoxi,
da nobis [2] requiem et iustis
opera presbyterorum
et sancti magni*que* Sinuthii.

24 O bone salvator noster,
20 matris tuae causa *et* Sinuthii
memento, Domine, famuli tui Gabrielis diaconi
in regno tuo et fidelium.

Si psallimus.

HYMNUS QUINTUS [3].

(Carmen) modulorum «Adami» in sanctum abbatem Sinuthium, monachorum principem.

1 Venite, fideles,
25 ut laudibus Christum celebremus
et belle exornemus
sanctum illum Sinuthium.

[1] ⲑⲟ = ⲉⲧⲟⲓ (?). — [2] Fortasse loco ⲚⲞⲚ legendum est ⲚⲞⲨ (= ⲚⲰⲞⲨ), cf. Hymnum I, 22 et V, 22 : Omnibus animis orthodoxorum da requiem et iustis. — [3] Carmen per strophas alphabeticum.

2 Removete ex animis vestris
fraudes et invidias
* benedicti illius causa,
sancti illius Sinuthii.

* p. 239.

5

3 Etenim ipse odit gloriam
huius mundi universam,
adamavit regem gloriae
sanctus ille Sinuthius.

4 David *versatur* inter nos
hodie, hymnorum vates,
magni patris nostri causa,
sancti illius Sinuthii.

10

5 Crescit atque florescit
verax *et* iustus,
magni auctor miraculi,
sanctus ille Sinuthius.

15

6 Septem ordines omnes
laudibus exornant Christum,
omni tempore praedicant
sanctum illum Sinuthium.

20

7 Vere iucunde
se erexit vita sua
in Christo bona
sanctus ille Sinuthius.

25

8 Exsultate in Domino,
homines christiani,
die festo iusti,
[sancti] illius [Sinuthii].

9 Iesus Christus, Deus noster,
cum angelis suis
hodie inter nos *versatur*,
sancte Sinuthi!

30

10 Et rursus, patres nostri,
* sancti apostoli,

* p. 240.

hoc modo se adiunxerunt,
sancte Sinuthi!

11 Populi omnes laudant
Dominum nostrum Iesum Christum,
honestant iustum,
sanctum illum Sinuthium.

12 Conveniamus, omnes
veram profitentes fidem,
et festum agamus nomine
sancti illius Sinuthii.

13 Reges orthodoxi
choreas bellas ducunt
patri nostro iusto,
sancto illi Sinuthio.

14 Vere tu emines
medio in concilio,
o Dei gestator,
sancte Sinuthi!

15 Quid [1] tibi, Deus? eripe nos
e tentationibus
atque e terrore,
sancte Sinuthi!

16 Deus noster, dissipa
inimicos nostros, o Christe,
et contere eos,
sancte Si[nuthi]!

17 Vigila pro nobis, o Christe,
usque ad consummationem christianorum
* iusti *viri* causa, p. 241.
sancti illius Sinuthii.

18 Prospera fluvios
et sationes et fructus

[1] ⲟⲩ = ϣⲟⲩ (gloria) ?

precibus adductus
sancti illius Sinuthii.

19 Precamur pro sacerdotibus
et iustis
per matrem tuam et dominum, 5
sanctum illum Sinu[thium].

20 Iam etiam monachos
et patres nostros iustos
conserva Virgi[nis] causa
et sancti illius Si[nuthii]. 10

21 Eleva, Deus, cornu
christianorum
Dominae nostrae causa *et* erae
et [sancti] illius [Sinuthii].

22 Salve, Dei genetrix, 15
Maria vir[go];
salve, *vir* iuste,
sancte Sinuthi!

23 Animis da requiem
in paradiso 20
matris tuae causa reginae
et sancti illius Sinuthii.

24 O Domine noster, memento
famuli tui Gabrielis
* p. 242. * et ceterorum fidelium 25
sancti illius Sinuthii causa!

Ceterum [si convenimus etc.].


III. DE ABBATE PSCHAI.

...] peccata eorum. [Tum] vero dicunt sancti : « Gentes exsistunt mirantes ». Continuo ecce Dominus Iesus e caelo venit Petro et Paulo sequentibus et inter nos constiterunt. Salvator sanctis : 30
« Pax, inquit, vobis » [...

]... vobis. Ipsi dixerunt : « Tu res, priusquam factae sunt, scis universas. Optavimus, ut gratia tua has capiat gentes desque ipsis perfectionem, cum sigillum desit sancti baptismi ». Respondit Salvator : « Hoc, inquit, faciam, o carissime [...] Magnum exstitit
5 stagnum aquae crebras velut flumen erigens undas. Statimque eos in nomen suum sanctum omnes baptizavit et conduxit[1] eos corpore suo sancto et sanguine suo puro. Di[xit autem ei]...
.................................* .... *p. 243.

Apa autem Pschai evanuit *et* a nobis discessit. Ignoravimus, quo
10 abisset. Dixit mihi pater meus : Hic *homo* sanctus gentium salutis *petendae* causa ad me venit. Nos autem ex[istimavimus...

[1] I. e. cibavit *sive* refecit.




INDEX BIBLICUS.

A. — VETERIS TESTAMENTI.

B. — NOVI TESTAMENTI.

INDEX NOMINUM.

INDEX RERUM.



INDEX CAPITUM.

ADDITAMENTA.

INDICES.

SCRIPTORES COPTICI

SERIES SECUNDA. — TOMUS IV

SINUTHII OPERA


ADDITAMENTA.

INDICES.

SCRIPTORES COPTICI

SERIES SECUNDA. — TOMUS IV

SINUTHII OPERA



CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

SCRIPTORES COPTICI

TEXTUS

SERIES SECUNDA. — TOMUS IV

SINUTHII ARCHIMANDRITAE VITA ET OPERA OMNIA

EDIDIT IOHANNES LEIPOLDT

ADIUVANTE W. E. CRUM

III




PARISIIS
E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVIII



PRAEFATIO.

Codices Sinuthianos cum Walterus E. Crum, vir doctissimus, in fine editionis nostrae palaeographice descripturus sit, id solum a me expetendum est ut brevissime quibus codicibus in singulis Sinuthii scriptis edendis usus sim indicem.

1. *Ad archiepiscopum quendam.* — A = codex Borgianus Saïdicus[1] 188, pag. ⲦⲀ. Cf. Georgium Zoega, *Catalogus codicum Copticorum manu scriptorum qui in museo Borgiano Velitris adservantur;* Romae, MDCCCX (Anastatischer Neudruck, Leipzig, 1903), pag. 427 et seq. Utor et apographo codicis a Carolo Schmidt facto et imagine codicis photographica arte expressa.

2. *Ad Timotheum archiepiscopum Alexandrinum.* — A = codex Borgianus Saïdicus 188, pag. ⲦⲀ et ⲦⲂ. Hanc epistolam edidit Zoega, *op. cit.,* pag. 428. Utor et collatione Caroli Schmidt et imagine codicis.

3. *Ad eundem.* — A = codex Borgianus Saïdicus 188, pag. ⲦⲂ. Cf. Zoega, *op. cit.,* pag. 428. Utor et apographo C. Schmidt et imagine codicis.

4. *Ad archiepiscopum quendam.* — A = codex Borgianus Saïdicus 188, pag. ⲦⲒⲀ. Cf. Zoega, *op. cit.,* pag. 428 et seq. Utor et apographo C. Schmidt et imagine codicis.

5. *Ad clericos oppidi Psoi.* — A = codex Borgianus Saïdicus 188, pag. ⲦⲒⲀ et ⲦⲒⲂ. Hanc epistolam edidit Eugenius Revillout, *Mémoire sur les Blemmyes;* Paris, 1874 (= *Mémoires présentés par divers savants à l'Académie des inscriptions et belles-lettres,* t. VIII, 2e partie, 1re série, pag. 42, note 1). Cf. Zoega, *op. cit.,* pag. 429. Utor et apographo C. Schmidt et imagine codicis. — Haec epistola fortasse citatur in librorum Sinuthii catalogo quodam

[1] Codices Borgiani Saïdici, qui Sinuthii libros continent, nunc in Bibliotheca Nationali Neapolitana asservantur.

Vindobonensi (ⲡ̅ⲅ̅ ⲥⲓⲛⲟⲩⲑⲓⲟⲥ ⲡⲉⲧⲥϩⲁⲓ ⲛⲛⲉⲡⲣⲉⲥⲃⲩ) et in indicibus Lugdunensibus (W. Pleyte et P. A. A. Boeser, *Manuscrits coptes du musée d'antiquités des Pays-Bas, à Leide, publiés d'après les ordres du gouvernement;* Leide, 1897), pag. 187 ubi legitur : ⲥⲉⲛⲟⲩⲑ, ⲗⲟⲅ, — ⲥⲉⲛⲟⲩⲑ, ⲡⲉ[ⲧ]ⲥϩⲁⲓ ⲛⲛⲉⲡⲣⲉⲥⲃⲩⲧⲉⲣⲟⲥ.

6. *Ad senem quendam de votis monasticis.* — A = codex Parisinus (Bibliothèque nationale), copte 130[4] (Schenoudi, III, 2[e] partie), fol. 152-155, pag. ⲧⲡⲍ-ⲧϥⲅ (florilegium Sinuthianum). Cf. librum meum *Schenute von Atripe*, etc., pag. 195-196. Quattuor capita ex una epistola excerpta. — Votum illud monasticum, quod in Sinuthii monasterio emittebant, in codice quoque Brit. Mus., Or. 6807 (3) exstat. Textus ad fidem apographi Walteri E. Crum tomo sequenti edetur.

7. *Ad Tachom matrem.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130[3] (Schenoudi, III, 1[re] partie), fol. 16; pag. ⲧⲓⲉ et ⲧⲓⲋ.

8. *Ad magistratum quendam gentilem.* — A = codex Vindobonensis K 9617, pag. ⲧⲗⲉ. Utor apographo Jacobi Krall quod Carolus Wessely cum ipso codice contulit.

9. *Ad Dorotheum praesidem.* — A = codex Vindobonensis K 9617, pag. ⲧⲗⲉ et ⲧⲗⲋ. Utor apographo Jacobi Krall a Carolo Wessely collato.

B = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130[5] (Schenoudi IV), fol. 45 (sine paginarum notis). In pagina posteriori in margine inferiori adscriptum est ⲕ̅ ⲧⲕⲩⲣⲓⲁⲕⲏ (ⲁ dubium) ⲉϫⲙⲡⲉⲛⲓⲱⲧ (ⲉ prius dubium) ⲡⲉⲧⲣⲟⲥ.

10. *Ad Theodosium ducem.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130[5], fol. 62, pag. ⲧⲗⲇ. In margine inferiori adscriptum est ⲓ̅ⲑ̅ ⲟⲩⲕⲁⲑⲏⲅⲏⲥⲓⲥ ⲙⲡⲥⲁⲃⲃⲁⲧⲟⲛ ⲕⲁⲛ ⲡⲉϥⲧⲟⲟⲩ ⲙⲛⲡⲥⲟⲟⲩ ⲉϫⲙⲡϣⲁ ⲙⲡⲉⲛⲉⲓⲱⲧ.

11. *De Theodosio duce.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.) 130[5], fol. 44; pag. ⲧⲛⲍ et ⲧⲛⲏ.

12. *Ad Caesarium comitem de discrimine monachorum et saecularium.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.) 130[3], fol. 41-43; pag. ⲣϥⲁ-ⲣϥⲋ.

Hic sermo citatur in catalogo Vindobonensi : ⲟ̅ⲉ̅ ⲟⲩⲉⲝⲏⲅⲏⲥⲓⲥ ϣⲏⲙ ⲛⲛⲁϩⲣⲛⲕⲁⲓⲥⲥⲁ.

13. *Ad Taurinum praesidem de tumultu quodam Alexandrinorum.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.) 130[3], fol. 43-45; pag. ⲣϥⲋ-ⲣϥⲑ.

Hic quoque sermo citatur in catalogo Vindobonensi : ⲟ̅ⲋ̅ ⲙⲛⲛⲥⲁϩⲉⲛⲕⲟⲩⲓ ⲇⲉ ⲛϩⲟⲟⲩ.

14. *De sapientia magistratuum.* — A = codex Berolinensis (Königl. Bibl.), ms. orient. fol. 1611, fol. 4.

15. *De modestia clericorum et magistratuum.* — A = Brit. Mus. 208, pag. ⲣϥⲍ-ⲥⲇ (cf. W. E. Crum, *Catalogue of the Coptic manuscripts in the British Museum;* London, 1905; pag. 90 et seq.). Utor apographo Walteri E. Crum et imagine codicis.

16. *Magistratus quidam e monasterio pellitur.* — A = codex Borgianus Saïdicus 184, pag. ⲥⲟⲏ-ⲥⲡⲃ. Cf. Zoega, *op. cit.*, pag. 380 et seq. Utor et apographo C. Schmidt et imagine codicis.

B = codex Parisinus (Bibl. nat.) 130[4], fol. 156; pag. ⲧϥⲇ et ⲧϥⲉ (florilegium Sinuthianum).

Hunc textum e codice A neglegentissime edidit E. Amélineau, *OEuvres de Schenoudi,* I, 1; Paris, 1907, pag. 3-8; qui imaginem quoque codicis A addidit[1].

17. *Adversus Graecos de mortibus hominum.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.) 130[3], fol. 36-39; pag. ⲣⲡⲃ-ⲣⲡⲍ.

B = codex Borgianus Saïdicus 195, pag. ⲥϥ et ⲥϥⲁ. Cf. Zoega, *op. cit.*, p. 415.

C = codex Parisinus (Bibl. nat.) 130[5], fol. 128; pag. ⲧⲕⲑ et ⲧⲗ. Pag. ⲧⲗ scriba imaginem Sinuthii pinxit.

[1] Falsae lectiones, quae in editionibus ab Amélineau, Zoega aliisque elaboratis reperiuntur, in hac editione nostra numquam recitantur, quippe quae nullius momenti sint.

Hic sermo citatur in catalogo Vindobonensi (ⲝⲑ ⲙⲁⲣⲛϫⲡⲓⲟⲛ [*sic*] ϫⲉ ⲟⲛ ⲛⲛⲉⲧⲧⲏϩ) et in indicibus Lugdunensibus, *op. cit.*, pag. 155, ubi legitur : ⲥⲓⲛⲟⲩⲑ, ⲗⲟⲅⲟⲥ ⲙⲁⲣⲛϫⲡⲓⲟ ϫⲉ ⲟⲛ ⲛⲛⲉⲧⲧⲏϩ ϩⲛ.

18. *Ad philosophum gentilem.* — A = codex Borgianus Saïdicus 192, pag. ⲥⲝⲁ-ⲥⲝⲏ. Cf. Zoega, *op. cit.*, pag. 450 et seq.

B = Mingarelli, *Aegyptiorum codicum reliquiae Venetiis in bibliotheca Naniana asservatae;* Bononiae, 1785; pag. 107 et seq. (ⲥⲕⲍ-ⲥⲙ).

C = codex Borgianus Saïdicus 193, pag. ⲥⲛⲑ-ⲥⲟ. Cf. Zoega, *op. cit.*, pag. 452 et seq.

D = codex Borgianus Saïdicus 213**, pag. ⲧⲉ et ⲧⲋ. Cf. Zoega, *op. cit.*, pag. 530.

In codice A, pag. ⲥⲝⲁ, margine inferiori adscriptum est ⲕⲃ ⲥⲟⲩⲥⲁϣϥ ⲛⲑⲟⲟⲩⲧ ⲉϫⲙⲡⲉⲛⲓⲱⲧ. In codice C, margine inferiori, pag. ⲥⲝⲁ : ⲡⲁⲓⲡⲉ ⲡⲙⲁ ⲙⲡϩⲏⲧ ⲉⲧⲉⲟⲩⲛⲧϥⲧⲥⲟⲫⲓⲁ; pag. ⲥⲝⲃ : ⲉϫⲛⲥⲟⲩⲕⲁ ⲛⲧⲱⲃⲉ.

Fortasse B et C eiusdem codicis fragmenta sunt.

19. *Adversus Graecos de usura.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130² (Schenoudi, II), fol. 20-23; pag. ⲕⲁ-ⲕⲏ.

B = Brit. Mus. 197, fol. 1, pag. [.ⲁ]-[.]ⲃ (cf. Crum, *op. cit.*, pag. 81). Utor apographo Walteri E. Crum et imagine codicis.

20. *De Aethiopum invasionibus I.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130⁴, fol. 142; pag. [ⲥⲟ]ⲏ-ⲥ[ⲟⲑ] (florilegium Sinuthianum). Hunc textum ipse edidi, *Zeitschr. für ägypt. Sprache*, XL, 2; 1903, pag. 128.

21. *De Aethiopum invasionibus II.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130⁴, fol. 144, pag. ⲥⲡⲅ (florilegium Sinuthianum). Hoc codice usus, textum iam edidi, *loc. cit.*, pag. 129. Cf. Oscar von Lemm, *Kleine koptische Studien*, XLV, 4 (*Bulletin de l'Académie impériale des Sciences de Saint-Pétersbourg*, 1904, octobre, t. 21, n° 3; pag. 0219 (401) et seq.).

B = codex Curzonianus 109 (pars prior); pag. ⲧϥⲃ et ⲧϥⲅ.

Utor et imagine codicis et apographo Crumiano paginae ⲧϥⲅ, quae partim vix legi potest.

C = Brit. Mus. 193, fol. 11 v° (sine paginae nota). Cf. Crum, *Catalogue of the Coptic manuscripts in the British Museum*, pag. 78 *a*.

22. *De Aethiopum invasionibus III.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130⁵, fol. 1-5; pag. [ⲩⲕⲁ]-[ⲩⲗ].

B = codex Parisinus 130⁴, fol. 145-148; pag. ⲥⲡⲏ-ⲥϥⲁ (florilegium Sinuthianum).

C = codex Parisinus 130⁵, fol. 63; pag. ⲧ[ⲡⲏ] et ⲧⲡⲑ.

D = codex Rylandsianus 67 (olim Crawfordianus 24 B). Utor catalogo codicum Rylandsianorum a Waltero E. Crum conscripto. Cf. H. Hyvernat, *Album de paléographie copte*, Paris-Rome, 1888, tab. VIII, n° 4. Notandum est in littera initiali (ⲉ in voce ⲉⲓⲟⲩⲱϩ) hanc inscriptionem exstare : ⲓ̅ⲥ̅ ⲭ̅ⲥ̅ ⲭⲣⲓⲥⲧⲟⲫⲟⲣⲟⲥ ⲅⲁⲗⲗⲓⲟⲅⲣⲁⲫⲟⲩ.

E = codex Parisinus 131⁴, fol. 143. Utor apographo Walteri E. Crum.

F = Fragmentum vitae Sinuthii Saïdice scriptae. Cf. Crum, *Catalogue of the Coptic manuscripts in the British Museum*, pag. 165 *a* (n° 351).

G = Brit. Mus. 207; cf. Crum, *op. cit.*, pag. 89 *b* et 90 *a*, ubi codex fere totus editus est. Utor apographo Crumiano et imagine codicis. Hic codex posteriorem tantum partem textus continuit, eamque sine inscriptione. Incipit enim hoc modo :

]ⲩ
]ⲉⲉ
]ⲉⲟⲩ (ⲉ dubium)
ⲉⲃⲟ]ⲗ ϩⲛⲛⲉ
]ⲉϥϭⲓϫ
]ⲱⲱϥⲡⲉ
]ⲧⲁⲛⲁⲥⲉ
]ⲯⲩⲭⲏ ⲛⲟⲩ
]ⲉ ⲉⲥⲥⲙⲟⲛⲧ
] ⲡϩⲱⲃ
ⲟⲩⲟⲛϩ ⲉⲃⲟ]ⲗ ⲛⲛⲁϩⲣⲛ (etc.)

H = Pleyte-Boeser, *Manuscrits coptes du Musée d'antiquités des*

Pays-Bas, à Leide; Leide, 1897; pag. 321-323 (folium unum). Superior margo folii in Museo Regio Berolinensi asservatur (in parte Aegyptologica, P. 10513).

J = codex Borgianus Saïdicus 194, pag. ⲥⲟⲍ et ⲥⲟⲏ. Cf. Zoega, *op. cit.*, pag. 455 et 469.

Huius textus partem priorem e codicibus A B C ipse edidi, *Zeitschr. für ägypt. Sprache,* XL, 2, 1903; pag. 130-137; ubi recensionis Arabicae versionem a Brunone Bundesmann elaboratam addidi. Cf. O. von Lemm, *loc. cit.*

23. *Adversus Saturnum I.* — A = codex Cairinus 8006, pag. ⲣⲝⲉ-ⲣⲝⲍ. Cf. W. E. Crum, *Coptic monuments,* pag. 3. Utor apographo C. Schmidt. — Textus subscribitur, pag. ⲣⲝⲍ : ⲥⲓⲛⲟⲩⲑⲓⲟⲩ ⲉⲡⲓⲥⲧⲟⲗⲏ; quae tamen verba inscriptio esse possunt textus sequentis (cf. infra, n° 24). — Eadem pagina ⲣⲝⲍ, in margine inferiori, ab alia manu hoc adscriptum est : ⲒⲈ ⲉϫⲛⲥⲟⲩⲑ ⲛⲧⲱⲃⲉ ⲡⲉϩⲟⲟⲩ ⲛⲧⲁϥϭⲱⲡ ⲡⲇⲓⲁⲃⲟⲗⲟⲥ (*sic*) ⲛϭⲓⲡⲉⲛⲓⲱⲧ. Haec quoque verba incertum est utrum ad priorem textum an ad posteriorem pertineant.

24. *Adversus Saturnum II.* — A = codex Cairinus 8006, pag. ⲣⲝⲍ-ⲣⲟⲋ (pag. ⲣⲟⲅ et ⲣⲟⲉ numerus a scriba omissus est). Cf. Crum, *op. cit.* Utor apographo C. Schmidt. De inscriptionibus cf. quae supra ad n^um^ 23 adnotavi.

25. *De idolis vici Pneueit I.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130[5], fol. 68. Sine paginarum notis. Hic sermo citatur in encomio Sinuthii, quod exstat in codice Borgiano Saïdico 182, pag. ⲛⲍ et ⲛⲏ : ⲛⲧⲉⲣⲉϥⲕⲧⲟϥ ⲇⲉ ⲉⲡⲙⲟⲛⲁⲥⲧⲏⲣⲓⲟⲛ, ⲁϥⲧⲁⲟⲩⲉⲡⲉⲓⲗⲟⲅⲟⲥ ⲕⲁⲧⲁⲛϩⲉⲗⲗⲉⲛ ⲉϥⲡⲁⲣⲁⲇⲓⲅⲙⲁⲧⲓⲍⲉ ⲛⲛⲉⲩⲉⲓⲇⲱⲗⲟⲛ ϫⲉⲁⲡ-(ⲚⲎ)-ϫⲟⲉⲓⲥ ϯϩⲣⲟⲩⲃⲁⲓ ⲉⲃⲟⲗ ϩⲛⲧⲡⲉ, ⲁⲡⲡⲉⲧϫⲟⲥⲉ ϯ ⲛⲧⲉϥⲥⲙⲏ (vocibus postremis in margine sinistro adscriptum est ⲕⲁϥ ⲉⲡⲁϩⲟⲩ ϣⲁⲑⲁⲏ, in margine dextro ⲡⲓⲙⲁ). Cf. Zoega, *op. cit.*, pag. 378.

26. *De idolis vici Pneueit II.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130[4], fol. 91-92, pag. ⲣⲙⲍ-ⲣⲛ.

B = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130[5], fol. 104 (unius folii pars inferior valde dilacerata).

27. *De omnipotentia Dei.* — A = codex Parisinus (Bibl. nat.), copte 130[4], fol. 91, pag. ⲣⲙⲍ.

